

## 1645

1. Adr: Petrus Johannis Angelstadius – Aut: Laurentius Ludenius (In octo libros Physic. Aristot. Περὶ τῆς φυσικῆς ἀκροῦσεως, sive de naturali auscultatione disputatio vigesima quinta, continens nobiliores notas et quaestiones cap. 6. et 7. lib. 3. a text. 56. usque ad text. 67. Quam in Regia Academia Dorpatensi /.../ proponit et publicae disputationi subjicit /.../ Johannes Erici Stregnensis /.../ respondente Petro Johannis Angelstadio, /.../ die <7. Martij 1646> Aug. 1645. /.../. Dorpati Livonorum, 1645: J. Vogelius)

SKB, H, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Doctiss. et Ornatiss. Dn. Respondenti:*

PETRUS ANGELSTADIUS:

*Per Anag.*

PRIUS ANGELUS ADSTET!

*PETRE, quid acturus, PRIUS o pius ANGELUS ADSTET!  
Et labor in Domino deliciosus erit.*

Quod in felix omen app.  
Laurentius Ludenius, Ph. et J.U.D.  
Poët. Cor. et P.P.

2. Adr: Petrus Johannis Angelstadius – Aut: M. Haquinus Platinus (cf. 1)

SKB, H, [Tartu UB]

GRATULATIO

*PETRE, tuum laudo conatum; Praeside Christo,  
Excolis in Physico dum studio ingenium.  
Pulcrum est, solertis Naturae noscere causas,  
Et quaevis Regio quicquid in orbe ferat:  
5 Quidque ferat Lunae facies mutata subinde;  
Quidque Planetarum mobilis ortus agat.  
Infinita Dei bonitas! miracula magna!  
Perge: tuus longum continuetur honor.*

Amoris E. app.  
M. Haquinus Platinus,  
Smoland.

3. Adr: Claudius Olai Argillander – Aut: Laurentius Ludenius (De Dei bonitate oratio: quam /.../ in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ die 18. Decemb. an. 1644. publice /.../ enarrabat Claudius Olai Argillander /.../. Dorpati, 1645: J. Vogelius)

SKB, UUB, Karlstad StB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Doctiss. et Ornatiss. Dn. Peroranti.*

CLAUDIUS OLAI ARGILLANDER:

*Per Anagr.*

CLAUDI, RE NUDA ARGILLA SOLI!

CLAUDI, ARGILLA SOLI RE NUDA Homo! Dixeris autem,  
Argillam hanc Bonitas tollit ad astra Dei.

Quod appon.  
LAURENTIUS LUDENIUS, J.U.D. et P.P.

4. Adr: Claudius Olai Argillander – Aut: Michael Savonius (cf. 3)

SKB, UUB, Karlstad StB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Sic Opifex Mundi, rerum cui summa potestas,*

*Divina terras pro Bonitate regit!*  
*Donat, praesentis vitae quibus indiget usus;*  
*Coelestique homines prosperitate beat.*  
 5 *Felix, o CLAVDI, qui Numinis ardua narras*  
*Facta! diu narres, quae Bonitatis, opes.*

Ita app.  
 M. MICHAEL SAVONIVS,  
 Profess. Log. et Ethic.

5. ADR: Claudius Olai Argillander – Aut: Torerus Erici Odhelius (cf. 3)

SKB, UUB, Karlstad StB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Ultima non Laus est, pectus coluisse per artes:*  
*Vltima? vix virtus altius ire potest.*  
*Conatum idcirco positum laudoque proboque,*  
*Intras dum magni publica scamna Loci:*  
 5 *Scilicet optatae commonstras flumine Lingvae,*  
*Gratia quanta Dei crescat in orbe dato.*  
*Demonstrant alti stellata palatia Coeli,*  
*Atque elementa probant; aethera, terra, probant!*  
*Mortales narrant, et cuncta creata: Loqvuntur*  
 10 *Quae Mare, quae tellus, quae polus altus habet.*  
*Acrier incoepto sic tramite currere perge;*  
*Et faveat studiis Gratia summa tuis.*

Amoris et favoris contestandi causa scribebat  
 TORERUS ERICI ODHELIUS, W-Goth.

6. ADR: Claudius Olai Argillander – Aut: Jacobus Columbus (cf. 3)

SKB, UUB, Karlstad StB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Parodia Horatiana ex lib 4. Carm. Ode 3.*

*Quem Summi Bonitas Dei*  
*Mortalem placido Flamine foverit,*  
*Illum non sitis improba*  
*Torrebit Cinyrae, non Semeles Puer*  
 5 *Curru ducet amabili*  
*Vesanum, nec eum Cypria morbidis*  
*Transfixum pharetris Dea.*  
*Quod Nymphae tumidas pertulerit minas,*  
*Vexabit variis modis.*  
 10 *Sed quae Sacra ferunt Semina Codices*  
*Doctum et Mnemosynes genus*  
*Tollent eximio dogmate nobilem.*  
*Nymphae Pierij ordinis*  
*Dignantur Juvenes inter Apollonis*  
 15 *Magnam ponere eum facem,*  
*Et sic dente minus roditur invido.*  
*O Summi Bonitas Dei,*  
*Recto quae modulo munera dividis;*  
*O fractis quoque mentibus*

20 Dimissura ferum jam *Bonitas* scelus.  
 Totum muneris hoc Dei est,  
 Orbus quod vitiis coelica gaudia  
 Ducit cum superis Choris,  
 Quod scribis placet, et, si placeo, lubet.

Scripta a  
 JACOBO COLUMBO,  
 Gen. et Illust. Gub. Rig. Alumno,  
 SS. Theol. Stud.

7. Adr: Claudius Olai Argillander – Aut: Jonas Johannis Scarensis (cf. 3)

SKB, UUB, Karlstad StB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

Daedala apis, veluti liquidas se attollit in auras  
 Remigio rapido,  
 Nec non nobilium perlustrat germina florum  
 Dulcia mella legens.  
 5 Aonidum Cultor sic et, dexterrime CLAUDI,  
 Ingenij trutina  
 Haud tantum quaeris, quae pronascuntur in hortis  
 Germina Thespiadum,  
 Sed quoque conquiris flores e Codice Sacro,  
 10 Oreque mellifluo  
 E Cathedra celsa, linguaque profaris eosdem  
 Flexanimi et celeri.  
 Pergere ne cesses; vere tibi praemia larga  
 Praeses Apollo dabit.

JONAS JOHANNIS SCARENSIS,  
 Svecus

8. Adr: Johannes Henrici Aridlander – Aut: Laurentius Ludenius (De vero Dei timore oratio: quam /.../ in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ die 19. Novemb. an. 1645. publice /.../ enarrabat Johannes Henrici Aridlander, /.../. Dorpati, 1645: J. Vogelius)

SKB, UUB, Växjö LB, Karlstad StB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Doctiss. et Ornatiss. Dn. Peroranti.*  
 JOANNES HEINRICI ARIDLANDER:  
*Per Anag.*  
 IN DEO RENIDE: HINC ALIIS NARRA.

Timens Deum, IN DEO RENIDE:  
 HINC ALIIS NARRA, rite Timete Deum.

Ita app.  
 Laurentius Ludenius, Ph. et J.U.D.  
 ac Prof. Publ.

9. Adr: Johannes Henrici Aridlander – Aut: Abrahamus G. Thauvonius (cf. 8)

SKB, UUB, Växjö LB, Karlstad StB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*O nimium felix, atque omni ex parte beatus*  
*Rite vocandus;*  
 Delicium Patriae nostrae et pars docta Lycei,  
 Docte JOHANNES:

5 *Nam Probitas decorat te aevo rarissima nostro,*  
*Sic Pietasque:*  
*Aonides, nec non Musarum antistes Apollo*  
*Te, Patriota,*  
*Ingenio relevare polito et moribus amplis*  
10 *En voluerunt.*  
*Hoc praesens animi monstrat conatus abunde;*  
*Quando timore*  
*De vero Domini praeconia farier orsus*  
*Ore disertio.*  
15 *Macte animis! dotes tantas fervente calore*  
*Excole laetus;*  
*Inde decus Patriae, Tibi, mox Genitoribus addet*  
*Culta Minerva.*

Honoris et amoris E.  
Ornatiss. Dn. Peroranti Patr.  
dil. app.  
Abrahamus G. Thavvoniuss,  
AustroFinl.

10. Adr: Johannes Henrici Aridlander – Aut: Andreas I. Limacius (cf. 8)  
SKB, UUB, Växjö LB, Karlstad StB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

JOANNES ARITTLANDER:  
*Per Anag.*  
EN ALTE RADIANS NITOR.

Qui RADIANS cupit esse NITOR terraeque Polique;  
Hic metuet semper Numina sancta Poli.  
EN ALTE RADIANS NITOR es tu, docte JOANNES;  
Dum populum, Numen rite timere, doces.  
5 Nitere tu nisu, summum venerare Tonantem;  
Sic ALTE RADIANS sis Maneasque NITOR.

Sic Conterraneo suo gratulatur  
Andreas I. Limacius,  
Wib. Carelius.

11. Adr: Johannes Henrici Aridlander – Aut: Johannes J. Schütz (cf. 8)  
SKB, UUB, Växjö LB, Karlstad StB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

JOHANNES ARITTLANDER:  
Per Anag.  
1. NONNE HILARIS ARDEAT?  
2. AN NON HILARIS REDEAT?

Qui Dominum usque timet toto de pectore; NONNE  
ARDEAT ille HILARIS dexteriore modo?  
JOHANNES Domini est flagrans ardente Timore;  
ANNE HILARIS REDEAT? tutus ubique meat.

Gratulans adjicere voluit  
Johannes J. Schütz /  
Kexhol. Carelius.

12. Adr: Benedictus Cassiander – Aut: Nicolaus Psilander (Disputatio theologica in caput duodecimum a v. 37. usque ad finem, D. evangelistae Iohannis selectissimas notas exhibens, in Regia Academia Dorpatensi publicae censurae subjicietur, praeside Andrea Virginio, /.../ respondente Benedicto Cassiandro, /.../ die <27. Februar.> Januar. anni 1646. – Dorpati Livonorum, 1645: J. Vogelius)  
Växjö LB, BRAN, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Praestantissimo et Literatissimo*  
Dn. Respondenti:  
BENEDICTUS CASSIANDER,  
Ἀναγραμματιζόμενος  
1. EN CANDIDUS ES! CERTABIS,  
2. AC CASSIDES RENIDEBUNT.

*EN CASSIANDER, CANDIDVS ES! Viri*  
*Te pervicaces opperiuntur hic:*  
*Stant hic Apellae increduli, stant*  
*Hic operato opere et superbi.*  
5 *CERTABIS his cum, candidioribus*  
*Auro triumphans CASSIDIBVS pugil.*  
*Persta, Ac RENIDEBVNT in axe*  
*Perpetuo Armaque CASSIDESque.*

Amico suo sincero, Fratris loco  
prosequendo, app. app.  
Nicolaus Psilander,  
Schmol-Svecus.

13. Adr: Christina – Aut: Laurentius Ludenius (Natalis vitae augustissimae, /.../ Christinae, /.../ Svecorum, Gothorum, Vandalorumque reginae, /.../ cum 8. die Decembris, anno Christi 1645. annum aetatis vigesimum, annumque SS. imperij secundum, /.../ auspicaretur; oratione solenni in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ aeternitati consecratus a Laurentio Ludenio, Ph. et J.U.D. poët. cor. professore juris, oratoriae et poëseos. Dorpati, 1645: J. Vogel)<sup>1</sup>

SKB, UUB, Växjö LB, H, [Tartu UB]  
DEDICATIO

*Serenissimae et Potentissimae Principi*  
*ac Dominae,*  
DN. CHRISTINAE,  
Dei Gratia, Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Reginae, ac Principi Haereditariae; Magnae Principi Finlandiae; Duci Esthoniae et Careliae; Dominae Ingriae; etc.  
*Victrici, Piae, Felici, Augustae, etc.*  
Vitam, Incolumitatem et Felicitatem p.p.

*PATRIS, et aequaevae SOBOLIS, FLATUSque SACRATI*  
*Annuat aeterna PACE perennis AMOR!*  
*Est DEA dicta CHARIS, Natura mitis et Annis,*  
*PACIS amans, Orbis deliciosa CHARIS.*

CHRISTINA,

<sup>1</sup> Idem 1636.14; 1643.21; 1644.4; 1646.4; 1647.17; 1648.13; 1649.16; cum variatione 1648.12; cf. 1641.11; 1642.19-20.

REGINA SVECIAE:  
*Per Anagr.*  
 CHARIS  
 IN REGNA IT SVECIAE.

- 5 *Sancta CHARIS, CHRISTINA CHARIS; Regina Serena  
 IN REGNA IT SVEONUM deveneranda CHARIS.  
 Est Pater Illustris Phoenix in Prole renatus:  
 AdVeniat, Videat, Vincat amica CHARIS!*

SS. Reg. Maj. Symbolum:  
 CHRISTUS REFUGIUM SUORUM.

- 10 *Nam RE conFUGIUM REGINAE CHRISTUS: ab alto  
 Irradians, complens Regia Corda, VIGOR.  
 CHRISTUS, Numen, Honos, nitidissima Vita SUORUM:  
 Arctoi Regni Lux, Sator, alma Salus!  
 Salve, Sancta CHARIS! Salve, REGINA! IEHOVA  
 Auspice, sis Regni deliciosa CHARIS.*

Dominae et Reginae suae Clementissimae,  
 Humilime.

14. Adr: Jacobus P. Columbus – Aut: Torerus Erici Odelius (Disputatio physica de mundo; quam /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati /.../ est /.../ sub praesidio /.../ Johannis Erici Stregnensis, /.../ disputationis examini submittit Jacobus P. Columbus, /.../ ad diem 5. <31.> Julij anno 1645 /.../. Dorpati Livonorum 1645: J. Vogel) SKB, UUB, H, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Praestanti Doctrina et Humanitate Ornatissimo Viro-Juveni,  
 Dn. JACOBO COLUMBO, V-gothia Svec.  
 Thesium de Mundo in genere Authori et Propugna-  
 tori solertissimo, amico et fratri suo syncere dilecto.*

- Gloria virtutis! didicisse fideliter artes  
 Est pretium, et doctis Lausque decusque viris.  
 Hinc cursus, JACOBE, tuos Laudoque proboque  
 Dum Sophiae monstras abdita dona tuae;  
 5 Utilis hic Labor est: hoc tu cupis utilis esse  
 Cui? Patriae; fies utilis, addo, tuis.  
 O quam gratus eris, quum fies utilis omni:  
 Qui fit tot meritis utilis haud moritur.  
 10 Perge igitur posthac animo hos haurire Liquores,  
 Quo facias Musis sedulitate satis.

Animitus Gratulatur  
 Torerus Erici Odelius,  
 V-Gothia Svecus.

15. Adr: Jacobus P. Columbus – Aut: Laurentius E. Emzelius (cf. 14) SKB, UUB, H, [Tartu UB]

GRATULATIO

JACOBUS PETRI COLUMBUS.  
*Per Anagr.*  
 CURTUM OPUS IBI COLEBAS.

Pulchrum OPUS hic et IBI, Musarum docte *Columbe*  
 Cultor, et Aonidum flos, dexteritate COLEBAS,  
 Quando longum alias OPUS, hic facis indole CURTUM,  
 Rite *Columbino* monstrans genio, ingenioque  
 5 Quas rerum species, numerosus porrigat orbis,  
 Vastaque quid vasti supportet Machina Mundi.  
 CURTUM OPUS, ast longum, defendere perge beatus,  
 Atque vige felix, claris et consule Musis.

Ita sympatriotae, et amico suo singulari  
 gratulari voluit  
 Laurentius E. Emzelius,  
 West-Gothia Svecus.

16. Adr: Andreas S. Dimbodius – Aut: Laurentius Ludenius (De humana fragilitate oratio metrica:  
 quam, in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ die 13. Martij an. 1645. /.../  
 publice /.../ enarrabat Andreas S. Dimbodius, /.../. Dorpati, 1645: J. Vogel)

SKB, UUB, Växjö LB, H, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Doctiss. et Ornatiss. Dn. Peroranti.*

ANDREAS DIMBODIUS:

*Per Anagr.*

MI DEUS, BONIS ADDAR.

*Cum nil sit firmum, aut stabili munimine tutum;  
 Vsque BONIS ADDAR, MI DEVS alme, precor.*

In felix omen app.  
 Laurentius Ludenius, Ph. et J.U.D.  
 Poët. Cor. P.P.

17. Adr: Andreas S. Dimbodius – Aut: Ericus Andreae Holstenius (cf. 16)

SKB, UUB, Växjö LB, H, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

Noscere, quam nostrae fragilis sit portio vitae,  
 Et queis exposita hic, sorte premente, malis!  
 Est opus egregium; Fateor. Nam γνῶτι σεαυτόν  
 De coelo illapsum mentibus esse reor.  
 5 Id tua, nos Clariae, DIMBODI docte, Camoenae  
 Ingenuo metro verba ligata docent.  
 Gratulor ipse tuis conatibus, atque Jehovahae  
 In Laudem vergant, voce rogante precor.

Τῆς φιλίας ἕνεκα ἔγραψεν  
 Ericus Andreae Holstenius.

18. Adr: Andreas S. Dimbodius – Aut: Jacobus Columbus (cf. 16)

SKB, UUB, Växjö LB, H, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

Cephisti tumidae ceu fugiunt aquae  
 Parvo murmure, sed non regredi queunt:  
 Sic transit subita vi  
 Nostrorum vigor artuum,  
 5 Et nunquam viridi flore redit; sed ut  
 Consurgunt roseo florida pectine  
 Primo gramina, deinde

Illis totus honor perit:  
 Sic paulatim et homo languidus horrido  
 10 Flaccescit senio; mox Lachesis fera  
     Tristi sauciat arcu,  
     Totus corrui et cadit!  
 Dum Lucina vocat Matris ab anxiae  
 Nos alvo, lacrymis cernimus aetheris  
 15 Auras, atque vicissim  
     In tristis gremium soli  
 Parcae quando vocant, nos lachrymas graves  
 Sentimus. Breve quod vivimus anxie  
     Tempus, maxima vexat  
 20 Tempestas, dolor, et labor.  
 Flos, et bulla cadens nos miseri sumus!  
 Ventus, qui breviter murmurat, et perit!  
     Nix, quae Solis ab aestu  
     Udos in latices fluit.  
 25 Cur ergo putridum magnifice caput  
 Ostentas homo? Junonis ut alites  
     Conspectis pedibus, cur  
     Non alas tumidas premis?  
 Haec et plura canis carmine vivo,  
 30 DIMBODI, Clarij candida pars Chori:  
     Dum dulces tibi succos  
     Donant Pieriae Deae,  
 Humanum graphice pingere queis statum  
 Vires ingenij fluminis in modum  
 35 Possunt. Perge Camoenas  
     Toto pectore prosequi:  
 Hae cum Castalios possideant lacus,  
 Syncerae juvenes queis cupidos rigant  
     Doctrinae, minus aevum  
 40 Perget Nomina tollere.

Scripsit  
 JACOBUS COLUMBUS,  
 Gen. et Illust. Gub. Rig. Stip.  
 S.S. Theol. Stud.

19. Adr: Andreas S. Dimbodius – Aut: Jonas Johannis Scarensis (cf. 16)

SKB, UUB, Växjö LB, H, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

Labilis humanos rotat inconstantia casus,  
 Nec didicit certo fallax Rhamnusia stare  
 Gressu; dum laeto nobis modo lumine fulget,  
 Ast modo splendentem tentat subducere vultum!  
 5 Est variis subjectus homo (proh flebile) morbis;  
 Nec tamen hi morti cunctos occumbere cogunt:  
 Sed partim, Vulcane, voras, Thetis horrida partim  
 Submergis; duro vel sternis vulnere, Mavors!  
 Hoc tamen immotum cunctis e femine natis,  
 10 Seu sint ex nihilo, restat: Semel horrida mortis

Castra subire jubet Divinae Regula Legis.  
 Talia qui volvit, sincera est Laude vehendus;  
 Et Tu dum varios numeroso carmine vitae  
 Humanae casus expendis, docta Noveni  
 15 Pars Gregis, et nostri, DIMBODI, portio coetus;  
 Te pulchrae merito Laudis dignamur honore.

Gratulabundus adjecit  
 JONAS JOHANNIS SCARENSIS,  
 Westro-Gothus.

20. Adr: Johannes Andreae Gadd – Aut: Laurentius Ludenius (De vera Dei invocatione oratio: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ 3. die Junij anno 1645. publice /.../ enarrabat Johannes Andreae Gadd, /.../. Dorpati 1645: J. Vogel)

SKB, UUB, Växjö LB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Doctiss. et Ornatiss. Dn. Peroranti.*  
 JOHANNES ANDREAE GAD:  
*Per Anag.*  
 AGNINA, DEO ADHAERENS.

Mens AGNINA, DEO precibus constanter ADHAERENS,  
 Pneumatica sanctas concinit arte preces.

In felix omen ap.  
 Laurentius Ludenius, Ph. et J.U.D.  
 Profess. Publ.

21. Adr: Johannes Andreae Gadd – Aut: Petrus Caroli Udenius (cf. 20)

SKB, UUB, Växjö LB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Optimum opus manuum est, in coelum tendere puras,*  
*Atque pio castas fundere ab ore preces.*  
*Turbati erigimus, Deus, ad te lumina cordis,*  
*Vsque Creatori concinimusque preces.*  
 5 *In Precibus toto nostrum cole pectore Christum,*  
*Ille tui merces magna laboris erit.*

Haec synceri animi declarandi causa  
 apposuit  
 M. Petrus Caroli Udenius,  
 W-Goth. SS. Theol. Stud.

22. Adr: Johannes Andreae Gadd – Aut: Sigvardus Wallingh (cf. 20)

SKB, UUB, Växjö LB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

Assidue volvens Sacri Mysteria Verbi,  
 Et recitans vigili sedulitate Preces;  
 Illius merito Nomen celebratur in orbe,  
 Atque idem placat voce precante Deum.  
 5 *Iane*, tibi merito ferimus praeconia laudum,  
 Biblia amas, monstras voce rogare Deum.  
 Perge, velut pergis, Sacra dogmata volvere sancte;  
 Charus eris Musis, delictumque tuis.

Syncerioris affectus contestandi causa  
 adjecit

Sigvardus Wallingh /

23. Adr: Johannes Andreae Gadd – Aut: Jonas Johannis Scarensis (cf. 20)

SKB, UUB, Växjö LB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Inclyta qui Themidos lustrat sacraria Divae,  
Strenuitate pia;  
Langvida morbifera ac qui corpora tabe, medendi  
Arte levare studet;*  
5 *Nec non qui Sophiae Studiis, caligine mentem  
Exiit atque polit;  
Eximia laude est dignus; magnae quia praestat  
Dexteritatis opus;  
Sed qui Divini volvit Sacra Dogmata Verbi  
10 Anteferendus erit.  
Omnia cum veluti vestis detrita peribunt  
Stant rata Verba Dei;  
Hinc et Musarum Sectator, docte JOHANNES,  
Aonidumque decus,*  
15 *Laude tui genij merita celebrabimus ausus,  
Gutture svaviloquo  
Dum narras, summus Dominus qua sollicitandus  
Supplice voce Precum.  
Annuat Astripotens coeptis: nec pergere cesses,  
20 Pulcra brabeja feres.*

Non tam moris quam amoris  
ergo, appendit  
Jonas Johannis Scarensis,  
W-Gothia Svecus.

24. Adr: Johannes Andreae Gadd – Aut: Laurentius E. Emzelius (cf. 20)

SKB, UUB, Växjö LB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Sedulus in sacris operam qui collocat aptam,  
Hic Bene profecit, consuluitque sibi.  
Vrania Soboles, quid vera vocatio Christi,  
Rite docens; studiis consulis ipse tuis.*  
5 *Perge; mone felix, quid vera vocatio Christi;  
Alma Trias coeptis his faveatque Sacris.*

Quod ex fraterni animi affectu vovebat  
Laurentius E. Emzelius,  
W. Goth. SS. Theol. Stud.

25. Adr: Johannes Andreae Gadd – Aut: Andreas Helgonius (cf. 20)

SKB, UUB, Växjö LB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Quae complectuntur Stellata Palatia coeli;  
Quaeque suis tellus tractibus ampla tenet;  
Totaque Naturae meditantur moenia laudes  
Numinis aeterni, ut pagina sacra docet.*  
5 *Judicij trutina hoc perpendis, Docte JOHANNES,  
Dum sacra repetis sedulitate Preces.*

Insta, Insta Precibus, coeptum nec sistito gressum;  
Ex alto largam det tibi Summus opem.

Sympatriotae et Amico suo dilecto  
ita gratulari voluit  
Andreas Helgonius,  
W-Gothia Svecus.

26. Adr: Johannes Georgii Gezelius – Aut: Laurentius Ludenius (Sceptris academicis, quae /.../ in magnificum p. t. rectorem /.../ Iohannem Georgii Gezelium, in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ Graecae et Hebraeae linguae profess. ord. nec non proto-synedrij designatum adsessorem, /.../ magnificus p. t. ex-rector /.../ Salomon Matthiae SS. theol. profess. et ecclesiae, quae ad D. Johannis colligitur, pastor /.../ publice solenniterque die 3. Novemb. anno 1645. /.../ conferebat: quaevis /.../ precantur Musae Embecciaes. Dorpati Livonorum 1645: J. Vogel)

H SKSK, [H], [Tartu UB]  
GRATULATIO

M. JOHANNES GEORGII GEZELIUS:

*Per Anag. duplex;*

1. HOMINIS ZELO EGREGIA JUNGES:
2. EGREGII HOMINIS ZELO AUGENS.

*Candide GEZELI, meritis Collega verende,  
Delicium cultae Eusebiae, Sophiaeque Magister;  
Magnifici felix venerandas muneris hujus  
Suscipe delicias: mihi Magnifice inclyte, Salve.*

- 5 Sancto HOMINIS ZELO, Christi auspiciisque beatis,  
EGREGIA egregie JUNGES Academica Sceptris;  
EGREGIIque HOMINIS ZELO feliciter AUGENS,  
Imperium Muis, animos aequaveris aevo.

In felix Auspicium  
Honorando suo Dn. Collegae sc.  
Laurentius Ludenius, Ph. et J.U.D.  
Poët. Cor. Prof. Publ.

27. Adr: Johannes Georgii Gezelius – Aut: Johannes Erii Stregnensis (cf. 26)

H SKSK, [H], [Tartu UB]  
GRATULATIO

- O mihi de patriis longe gratissime terris,  
GEZELI, Clarij pars speciosa chori:  
Magnificos dum *Matthiades* dimittit honores,  
Officii que pius nobile ponit onus;  
5 Magnificos placidis animis admittis honores;  
Magnifici officij nobile sumis onus.  
Felix GEZELI, qui, nostro praeside Christo,  
Magnifici officij tam bene sumis onus!

Honoris ergo apposuit  
M. Johannes Erii Stregn.  
Astronom. et Phys. Prof. P.

28. Adr: Johannes Georgii Gezelius – Aut: Adrianus Verginius (cf. 26)

H SKSK, [H], [Tartu UB]  
GRATULATIO

In summo doctae Parnassi vertice montis  
Musae conveniunt, celebrantes annua festa:  
Magnanimae cantat *Clio* rata fata Minervae,

5       Laudibus innumeris *Polymneia* mactat eandem.  
 Blanda *Thalia* vetat non-dignam, morte moriri;  
 Casta *Erato* castos ejus modulatur amores.  
       *Urania* genesin scrutatur; et, astra beatae  
       Multum promittunt, exclamat laeta, salutis.  
 10       Hinc reliquae capiunt laeto nova gaudia vultu;  
 Phoebus et eligitur per libera vota Choragus,  
       Purpureaque ejus velantur Epomide membra.  
       *Calliope* sequitur, jucundam pectore vocem  
       Fundens; *Euterpes* auditur fistula; cunctas  
       Vincere *Melpomene* cantus dulcedine tentat.  
 15       *Terpsichore* pulsat citharas; ex arte choreae  
       Ducuntur; manibus complois Jubila dantur.  
       Da Deus, infelix ne quis pia gaudia casus  
       Turbet! clementer nostrum servato Choragum,  
       Servato et nostras Musas, nostramque Minervam,  
 20       Quae Musis nostris haec gaudia et otia fecit.

Ita ex toto corde vovet  
 Adrianus Verginius, Julino-Pom.  
 Ecclesiae Nuggensis Pastor, et Facult.  
 Theol. Adjunctus.

29. Adr: Johannes Georgii Gezelius – Aut: Benedictus Cassiander (cf. 26) H SKSK, [H], [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Phoebi Cultores, adsitis jugiter omnes;*  
       *Et pateant aures, ad mea verba, precor.*  
       *Omnibus est notum; Redit lux illa Novembris,*  
       *Magnificum accipiet qua sacer ordo novum.*  
 5       *Magnificus Rector SALOMON Pia Sceptra Lycei*  
       *Ponit: Magnifico GEZELIOque refert.*  
       *Muneris est nostri, SALOMONI solvere grates,*  
       *Pro pietate proba, pro Probitate pia.*  
       *Munus erit nostrum Rectori fausta futuro*  
 10       *Optare; Ah, cedant candida Sceptra bene!*

Observantiae contestandae gratia posuit  
 Benedictus Cassiander,  
 Smol. Svec.

30. Adr: Johannes Georgii Gezelius – Aut: Andreas Berg (cf. 26) H SKSK, [H], [Tartu UB]  
 GRATULATIO

M. JOHANNES GEORGI GEZELIUS.  
       *Per ἀνάγκη.*  
 I, MAGNE GEZELI, I! SURGE HONOS.

I tu, MAGNE Vir, I felix! fer fulgida Sceptra,  
 GEZELI; Musae SURGE virentis HONOS.

Τῆς φεραπείας ἕνεκεν ἔγραψεν  
 Andreas **Berg** /  
 Wesman.

31. Adr: Johannes Georgii Gezelius – Aut: Ericus Holstenius (cf. 26) H SKSK, [H], [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Narravit Naso; Parnassi montis Alumnus;*  
*Numina cultori Perniciosa suo.*  
*Dixerit. Ast video, variatis sortibus aevi,*  
*Diversi enatum temporis ingenium.*  
 5 *Musae Embecciaades certatim his munera portant,*  
*Qui Clariis pergunt invigilare Choris.*  
*Testis GEZELIVS, sancti veneranda Lycei*  
*Gloria; Promotor, Deliciumque meum.*  
*Multa tulit, fecitque: animis sudavit et alsit:*  
 10 *Arte Magister adest, Arte Professor adest.*  
*Purpura clara Virum jam cingit, et ornat amictus,*  
*Magnificumque suum tota Corona vocat.*  
*Osi, Magnifici Gnati, Genitoris ocelli*  
*Aspicerent, clarum dexteritate decus!*  
 15 *Invida sed prohibes longi distantia tractus,*  
*Optatum nostrum fluminaque impediunt.*  
*Interea i felix, rege nos, Deus acta secundet*  
*Et tangat celsum fama beata polum.*

Honorando suo Dn. Hospiti, ita ani-  
 mitus gratulatur  
 Ericus Holstenius,  
 Wesman.

32. Adr: Johannes Georgii Gezelius – Aut: Carolus Ruberus (cf. 26) H SKSK, [H], [Tartu UB] GRATULATIO

*Quid rauco campanarum clangore notatur*  
*Et quid purpureo vult tegmine tecta cathedra?*  
*Quid vult clarorum conventus in urbe Virorum?*  
*Scilicet incedit jam cultior ille Magister*  
 5 *Noster GEZELIVS: tacitam cum consulo mentem*  
*Causa latere nequit: quia Sceptra regenda Lycei*  
*Pulchra dabuntur ei, cum fulserit undecima hora.*  
*Christe fave, ut vigeat sub Sceptris blandula Musa!*

Debitae observantiae causa  
 scribebat  
 Carolus Ruberus.

33. Adr: Johannes Georgii Gezelius – Aut: Jacobus Columbus (cf. 26) H SKSK, [H], [Tartu UB] GRATULATIO

En ego, qui nuper carmen lugubre notavi,  
 Dum data GEZELIUM fata tulere *Petrum!*  
 Nunc tibi GEZELI triplicem gratabor honorem,  
 Quo tua te Virtus condecorare parat.  
 5 Sit tibi faustus honor, sit prosperitate beatus,  
 Dum capis Aonio Sceptra sacrata Choro.  
 Sit tibi faustus honor, sit prosperitate beatus,  
 Quando Adessoris munia pulcra subis.  
 Sit tibi faustus honor, sit prosperitate beatus,  
 10 Summi quando Dei Praeco fidelis eris.  
 Sic juvat egregias caput excoluisse per Artes,  
 Veraque sic Virtus praemia ferre solet.

Ita Promotori suo unice suspiciendo

vovet  
Jacobus Columbus.

34. Adr: Johannes Georgii Gezelius – Aut: Wolmarus Stackelberg (cf. 26) H SKSK, [H], [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Ob vilem causam susceptas sponte querelas,  
Principe Coccejo, Romae, dum quisque movebat;  
Indeque surgebat discordis factio plebis;  
Sed dixisse ferunt Frontonem, munere Patris*  
5 *Conscripti tunc fungentem: Rex est Malus ille,  
Sub quo non ulli, quod vult, praestare licebit;  
Sed multo peior, sub quo omnibus omne licebit.  
Civibus Aoniis, audis, Clarissime, Rector!  
Ut nihil omnino liceat, nolito studere;*  
10 *Vt, quodcunque lubet, liceat, nolito studere;  
Sed bona, honesta, Bona pateant, justissima justis,  
Hinc meritae specimen portabis nobile laudis.*

Observantiae contestandae ergo sc.  
Wolmarus **Stackelberg** /  
Nob. Liv.

35. Adr: Johannes Georgii Gezelius – Aut: Georgius Stackelberg (cf. 26) H SKSK, [H], [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Ut virides herbas, frondes, et gramina prati,  
Hortorum et flores, crescere nemo videt;  
Sed crevisse patet cunctis, qui lumine cernunt,  
Esse solo flores, arboribusque comas:*  
5 *Factaque sic potius Prudentia cernitur omni,  
Quam fieri. Extemplo GEZELIUM accipimus:  
Rectorem factum Clariis amplectitur ulnis  
Pubes, et Sophiae gaudet habere decus.  
Faxit cunctipotens Dominus, qui sidera torquet,*  
10 *Vt bene fungatur munere Magnifico.*

Ita exoptat  
Georgius **Stackelberg** / Nob. Liv.

36. Adr: Johannes Georgii Gezelius – Aut: Israel Drysander (cf. 26) H SKSK, [H], [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Svavi, vos Musae, nova carmina jungite plausu,  
Ecce novo vobis Rector honore venit.  
Dicite GEZELIO, resonetque in vallibus Echo,  
Cum sene dic juvenis; Gratus honore venis.*  
5 *Dicite GEZELIO; blateretque in vallibus Echo  
Sit tibi faustus honos, et rege rite Bonos.  
Dicite GEZELIO, sit murmur et inter amoenas  
Musas: o Salve, prospera Sceptra gere.*

Applaudens cecinit  
Israël Drysander,  
Wesmannus.

37. Adr: Johannes Georgii Gezelius – Aut: Lucas Ilianus (cf. 26) H SKSK, [H], [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Felix, qui primi partes ita transigit aevi,*

*Vt certum speret fructum maturior aetas.*  
 Magnifice o Rector, Sophiae Eusebiaeque Sacerdos:  
*Tu transegisti primum feliciter aevum.*  
 5 *Vixisti Hebraeae, Grajae, Latiaeque Minervae*  
*Egregio in Studio. Mens et quod celsa Platonis*  
*Narraret; totis didicisti viribus olim.*  
*Vidit, et ut vidit: dixit Divinus Apollo,*  
*Fructus erit: Sophiae celebrabitur Arte Magister:*  
 10 *Audiet Hebraeae Lingvae, Grajaeque Professor.*  
*Vidit; et ut vidit Divinae mentis acumen*  
*Atque indefessum studium, sacer ordo Senatus,*  
*Dixit: Magnificus, GEZELIVS ille, futurus*  
*Est noster. Jussu GVSTAVI Regis ADOLPHI,*  
 15 *Sceptra, Librum, Claves, et cuncta Insignia gestet,*  
*Quo Clario, clarus ceu Ductor, fulgeat orbi.*  
*Magnificus Rector vivat; Gentemque togatam*  
*Et sanctas foveat Musas in pace perenni.*

Honoris et observantiae E.  
 scribebat  
 Lucas Ilianus,  
 Wesm. Svec.

38. Adr: Johannes Georgii Gezelius – Aut: Petrus Angelstadius (cf. 26) H SKSK, [H], [Tartu UB]  
 GRATULATIO

M. JOANNES GEORGII GEZELIUS.

*Per Anag.*

GEZELI, SANO OMNI I EGREGIUS.

*Inclyte, Magnifici Rectoris munus obibis,*  
*GEZELI; Ito OMNI SANO per secla<sup>2</sup> dierum*  
*EGREGIVS; radians Musarum vivo lumen.*

Debitae observantiae E. app.  
 Petrus Angelstadius,  
 Smol. Svecus.

39. Adr: Johannes Georgii Gezelius – Aut: Tholetus Arvikander (cf. 26) H SKSK, [H], [Tartu UB]  
 GRATULATIO

En quoties redeunt pulcherrima festa Novembris,  
 Rector Rectori dat sacra Sceptra novo.  
 Sceptra dat: et comitatur onus pia Sceptra laboris,  
 Concomitatur item deliciosus honos.  
 5 Magnifice o Rector GEZELI, Sceptra reportas;  
 Grande laboris onus, dulcior Artis honos!

Sic novo Magnifico Dn. Rectori  
 gratulari voluit  
 Tholetus Arvikander.

40. Adr: Johannes Georgii Gezelius – Aut: Alexander von Essen (cf. 26) H SKSK, [H], [Tartu UB]  
 GRATULATIO

En, novus excelso prodit praecinctus honore,  
 Magnifico Rector nomine GEZELIUS!

<sup>2</sup> *secla* edd pro *secula* metri causa

Sint hujus partes faustae, bene tractet et Artes  
Ut fructum capiat quilibet inde suum.

Honoris et amoris ergo haec apposuit  
Alexander **von Essen**  
Junior, Nobil. Livon.

41. Adr: Johannes Georgii Gezelius – Aut: Guilhelmus Cronmann (cf. 26) H SKSK, [H], [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Qvod viatori solet esse, purus  
Fons aquae solis calido sub aestu:  
Sermo Prudentum Clariae juventae  
Id solet esse.*

5 *Hem! lubens fasces cape jam Lycei  
Regij, et mentes bibulas Juventae,  
Rore doctrinae refove salubris,  
Clare Magister.*

10 *Sic reportabis decus atque honorem,  
Mortuum qui te faciet perennem;  
Jam silet nemo, neque te futura  
Fama silebit.*

Gvilhelmus **Cronmann** /  
Nobil. Liv.

42. Adr: Johannes Georgii Gezelius – Aut: Johannes Cronmann (cf. 26) H SKSK, [H], [Tartu UB]  
GRATULATIO

Artes nutrit Honos; praeclarae est indolis esca  
Gloria, quam nutrit nominis integritas.  
Hoc probat exemplo Rector, qui sceptrum Magistri  
Tractat, et hunc sequitur Gloria, Laus et Honor.

Johannes **Cronmann**  
Junior, Nobil. Livon.

43. Adr: Johannes Georgii Gezelius – Aut: Ericus Michaelis Langius (cf. 26)  
H SKSK, [H], [Tartu UB]  
GRATULATIO

*O faustum rebusque actum felicibus omen,  
Ipse ratum e coelo quod Deus esse velit!  
En tibi Dorpati sua tradunt sceptrum Camoenae,  
Et te Magnificum voce salutatur opus.*

5 *His sceptris Rector felicibus utere felix,  
Nec parcas, Musae multiplicare decus.  
Innocuos defende libens, compesce nocentes,  
Sit memor officij te Duce quisque sui.*

Felicis ominis et debitae observantiae  
causa app.  
Ericus Michaelis Langius,  
Revalia-Livonus.

44. Adr: Johannes Georgii Gezelius – Aut: Laurentius Wallerius (cf. 26) H SKSK, [H], [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Aggrederis nostri dum sceptrum regenda Lycei  
Sudorique capis debita dona tuo:  
Gratulor ex ima synceri pectoris arca:*

5 *Et precor officio plurima fausta tuo.  
Sis felix, et vive diu, bene Vive Lyceo,  
Et tua post mortem fama superstes erit.*

Ita gratulatur  
Laurentius Wallerius Helsing.

45. Adr: Johannes Georgii Gezelius – Aut: Ericus Colmodinus (cf. 26) H SKSK, [H], [Tartu UB]  
GRATULATIO

5 *Prospera Lux oritur; qua Titan candida spargit  
Lumina, praeteritos placide renovatque Triumphos.  
Scilicet, Eusebiae flos, atque corona Sophorum  
GEZELIUS, Ty<...> tectus, Sceptroque verendus  
5 Almis incedit Juvenum comitante Caterva,  
Accipiat laetis animis, quae Sceptra regenda  
Committit Pietas, et quaevis commoda spondet,  
Annuat Omnipotens, et Coepta secundet amica:  
Mercurij Soboles pulcherrima fata precatur;  
10 Vivat, et o Valeat praeclaro dignus honore  
Magnificus Rector, Clarij pia gloria coetus.*

Ericus Kolmodinus,  
Suderm.

46. Adr: Johannes Georgii Gezelius – Aut: Benedictus O. Vegrelius (cf. 26) H SKSK, [H], [Tartu UB]  
GRATULATIO

5 *Gaude Thespiadum Pubes; ad Sceptra vocatur  
Vir Sophia insignis, nulli Pietate secundus,  
GEZELIVS; qui ne rata commoda <ne>gligat ulla  
Sed res, et gentis subjectae commoda curet;  
5 Tu Deus Alme juva; susceptum ita dirige munus  
Vt pulcre aeternum luceat gloria Christi.*

Observantiae ergo app.  
Benedictus O. Vegrelius,  
Sudermannia Svecus.

47. Adr: Gustav Adolph – Aut: Laurentius Ludenius (Natalis vitae augustissimae, /.../ Christinae, /.../ Svecorum, Gothorum, Vandalorumque reginae, /.../ cum 8. die Decembris, anno Christi 1645. annum aetatis vigesimum, annumque SS. imperij secundum, /.../ auspicaretur; oratione solenni in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ aeternitati consecratus a Laurentio Ludenio, Ph. et J.U.D. poët. cor. professore juris, oratoriae et poëseos. Dorpati, 1645: J. Vogel)<sup>3</sup>

SKB, UUB, Växjö LB, H, [Tartu UB]  
DEDICATIO

REX  
GUSTAVUS  
ADOLPHUS.  
*Per Anagramma;*

REX  
AUGUSTUS  
HAS DVPLO.  
*SS. Reg. Maj. <sup>tis</sup> Symbolum:*  
CUM DEO ET VICTRICIBUS ARMIS.

<sup>3</sup> Idem 1636.25; 1643.46-47; 1644.15; 1646.19; 1647.37; 1648.25; 1649.22.

*Gratia, Christe, tua est; Patriae Civemque Patremque  
Quod gero, res Sancti curo quod Imperij.  
Gratia, Christe, tua est; quod Res Victricibus Armis  
HAS REX AVGVSTVS conduplicando DVPLO.*

5 *Christo Dante, mea Phoenix in Prole renatus  
Vivo: Deo Vivat Regia Progenies!*

48. Adr: Georgius Johannis Hornich – Aut: Johannes Henrici (In octo libros Physic. Aristot. περὶ τῆς φυσικῆς ἀκροάσεως, sive de naturali auscultatione disputatio vigesima prima, continens nobiliores notas et quaestiones cap. 2. lib. 3. a text. 6. usque ad finem capituli. Quam in Regia Academia Dorpatensi /.../ proponit et publicae disputationi subjicit /.../ Johannes Erici Stregnensis, /.../ respondente Geogio Joh. Horningk /.../ die <...> Mart. 1645. /.../. Dorpati Livonorum, 1645:J. Vogelius)

UUB, H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Semper in assiduo motu res quaeque feruntur,  
Tenduntque ad melius transitione sua.  
Cernimus ut sursum flammae librentur et ignes;  
Cognatae u<t> terrae pondera, ad ima ruant.  
5 Tuque GEORGI HORNICH, Musarum candida Proles,  
Volveris ingenij candidiore via.  
Naturam motus monstras; et mente sagaci  
Solvis contortis dicta vibrata plicis.  
Perge, velut pergis, pervolvere scripta Sophorum,  
10 Sicelides Musae nomen ad astra ferent.

Honoris et amoris ergo app.  
Johannes Henrici,  
Nöttub. Carelius.

49. Adr: Georgius Johannis Hornich – Aut: Johannes J. Skytt (cf. 48)

UUB, H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Corpora quae gremio sinuosus continet orbis,  
Excercent motus singula rite suos:  
Scilicet obliquum servant laquearia coeli  
Motum; directum mundi Elementa tenent:  
5 Compositum semper retinent animantia terrae,  
Optatae et vitae munera quaeque trahunt.  
Tuque GEORGI HORNICH, mi dilectissime Amice,  
Ingenij motu pergis adusque tui.  
Naturam motus monstras, dictante Minerva,  
10 Praeside sub claro solvis in Arte strophas;  
Perge piis coeptis: Musarum visere castra  
Insta; sic studium Numina sancta beant.

Sic Conterraneo suo gratulatur  
Johannes J. **Skytt** /  
Kexholmensis.

50. Adr: Lucas Ilianus – Aut: Laurentius Ludenius (De elocutione disputatio rhetorica; quae, /.../ in alma Universitate Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ die 8. Octobris anno 1645. /.../ disputationis exercitio publice /.../ committatur, praeside Laurentio Ludenio, /.../ respondente Luca Iliano, /.../. Dorpati Livonorum, 1645: J. Vogel)

SKB, UUB, H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Doctiss. et Humaniss. Dn. Respondenti.*

LUCAS ILIANUS,  
*Per Anag.*  
 I, AC SIS LUNULA!

*J pius, AC doctae SIS lucida LVNULA Musae!*

In felix omen ap.  
 Laurentius Ludenius, Ph. et J.U.D.  
 Profess. Publ.

51. Adr: Lucas Ilianus – Aut: Ericus Holstenius (cf. 50)

SKB, UUB, H, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

Quod praestat svavi modulamine Tullius oris,  
 Mellitis labris quodque Thalia sonat;  
 Docte ILIANE, Choro Cathedra proponis ab alta,  
 Contortis solvis dicta vibrata plicis.  
 5 Sic LUCA, *Lucere* tuis bene perge Camoenis;  
 Augurium dico; *Lucis* o instar eris!

Ita Amico et Popolari L. Mque  
 applausit  
 Ericus Holstenius,  
 Wesm.

52. Adr: Lucas Ilianus – Aut: Laurentius Ludenius (Disputatio theologica in caput duodecesimum a v. 20. usque ad v. 37. D. evangelistae Iohannis selectissimas notas exhibens; in Regia Academia Dorpatensi publicae censurae subicietur, praeside Andrea Virginio, /.../ respondente Luca Valentini Iliano, /.../ die <...> anni 1645. Dorpati Livonorum, 1645: J. Vogelius)

SKB, Växjö LB, BRAN, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Doctiss. et Humaniss. Dn. Respondenti.*  
 LUCAS VALENTINI ILIANUS:  
*Per Anag.*  
 I NUNC! EN ILLA SALUTIS VIA!

*I NUNC ad Christum! EN VIA felix ILLA SALVTIS!*

In felix ausp. app.  
 Laurentius Ludenius, Ph. et J.U.D.  
 Poët. Cor. et Prof. Pub.

53. Adr: Lucas Ilianus – Aut: Georgius Preutius (cf. 52)

SKB, Växjö LB, BRAN, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

LUCAS ILIANUS;  
*Per Ἀναγραμ.*  
 ALI, SANUS, LUCI.

Aeternis epulis tu dignus ALI atque foveri:  
 Dogmate quum SANUS, Scriptis et voce repellas  
 Insanos; LUCI sic dogmatis additur ingens  
 Lux, honor et nomen; fausto bene sydere crescat!

Amico Amicus Amice apponebat  
 Georgius Preutius, Reval. Liv.  
 SS. Theol. Stud. et Philos. C.

54. Adr: Johannes Petri Kuuth – Aut: Andreas Bergh (Discursus politicus, de republica in genere: qui, in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ praeside /.../ Johanne Erici Stregnensi, /.../ publicae ventilationi committebatur a Johanne Petri Kuuth, /.../ ad diem < > Decemb. /.../. Dorpati Livonorum, 1645: J. Vogelius)

UUB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Vertere, perdulce est, sacrata volumina Phoebi, et  
 Pieridum dulci labra rigare vado.  
 Hincce favor crescit Regumque, Deumque, Hominumque;  
 Hinc honor, hinc nomen surgit ad astra poli.  
 5 Crescit et hinc ingens multarum copia rerum;  
 Nunquam deficiet commodus usus opum.  
 KUUTHIUS haec aequo jam secum pectore volvit,  
 Atque σοφῶν flores nocte dieque legit.  
 Ad lychnum vigilat, concinnat, publicat, edit,  
 10 Defendit docta dexteritate Theses.  
 Ominor hinc laetus; Christo Duce et Auspice, surget  
 Lucida stella polo, lucida stella solo.

Ita commensali suo charissimo L. Mque  
 gratulari voluit  
 Andreas **Bergh** /  
 Wesman.

55. Adr: Ericus M. Langius – Aut: Laurentius Ludenius (Disputatio theologica in caput undecimum a v. 1. usque ad v. 17, D. evangelistae Iohannis selectissimas notas exhibens, in Regia Academia Dorpatensi publicae censurae subjicietur, praeside Andrea Virginio, /.../ respondente Erico M. Langio, /.../ die 13. Junij anni 1645. Dorpati Livonorum, 1645: J. Vogelius)

Kobenhavn KB, BRAN, Växjö LB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Doctiss. et Ornatiss. Dn. Respondenti.*  
 ERICUS MICHAELIS LANGIUS:  
*Per Anag.*  
 HUMILIS AC ANGELICUS ERIS.

*Annuat Omnipotens: Anagrammata candida dicunt:*  
 HVMILIS AC ANGELICVS ERIS, es.

In felix Omen app.  
 Laurentius Ludenius, Ph. et J.U.D.  
 Poët. Cor. Profess. Publ.

56. Adr: Ericus M. Langius – Aut: Georgius M. Langius (cf. 57)

Kobenhavn KB, BRAN, Växjö LB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Mors, Pio erit non mors; sed Somnus. LaZarus illud*  
*Testatur, cujus mors modo somnus erat.*  
*Fata sui fratris flent, Martha, Maria, sorores,*  
*Et serae morti succubuisse putant:*  
 5 *Verum condiderat nictantia lumina somno,*  
*A Christo in vitam mox revocatus ovat.*  
*Christe juva, ut memores lethi mortisque futurae*  
*Simus; et, ut solum te veneremur, age.*  
*Sic nobis mors, non fuerit mors; somnus amicus*  
 10 *Mors erit: aeternum, Te duce, vita redit.*  
*Et tu, Perge, precor, felix, Duce et Auspice Christo;*

*Sic tibi, mi Frater, surget honore decus.*

Fratri Germano fraterne adjecit  
Georgius M. Langius,  
Revaliensis.

57. Adr: Samuel Olai Löfwing – Aut: Laurentius Ludenius (In octo libros Physic. Aristot. περὶ τῆς φυσικῆς ἀκροάσεως, sive de naturali auscultatione disputatio vigesima quarta, continens nobiliores notas et quaestiones cap. 5. lib. 3. a text. 42. usque ad finem cap. quam in Regia Academia Dorpatensi /.../ proponit et publicae disputationi subjicit /.../ Johannes Erici Stregnensis, /.../ respondente Samuele Olai Löfwing /.../ die < > Aug. 1645. /.../. Dorpati Livonorum, 1645: J. Vogelius)

SKB, H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Doctiss. et Ornatiss. Dn. Respondenti.*

SAMUEL OLAI LOFVING;

*Per Anag.*

UNA FLOS, AGE VI MOLLI.

Aura dabit FLOres doctae foecunda Minervae.  
UNA FLOS, AGE VI MOLLI; Duce et Auspice Christo,  
FLORidus hinc animus svavi ridebit odore.

Quod in felix omen app.  
Laurentius Ludenius, Ph. et J.U.D.  
Profess. Publ.

58. Adr: Samuel Olai Löfwing – Aut: Olaus Nicolai Berch (cf. 57)

SKB, H, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Spondet ut agricolis segetem flos primus in agris,  
Sic quoque qualis erit prima Juventa docet:  
Hic trahitur studio; populo inclarescere gaudet  
Thespiadum auxilio; Pallada maxime amat;  
5 Insignem alter amat famam sibi Marte parare,  
Nil nisi Martis opus nocte dieque canit.  
Poscit uterque sibi laudes, et uterque laborat  
Ferre Jubar Patriae praesidiumque suae.  
Quos spondes Patriae, SAMUEL mi, quosque Parenti  
10 Dilectae fructus, hos facile ipse doces.  
O faustum coeptum! Dic quidnam dulcius unquam,  
Nomina quam studiis docta parare suis?  
Ne cesses Viridem posthac ornare Sophiam,  
Successu facili sic tibi crescet honos.*

In synceri amoris τεκμήριον fratri suo ita  
congratulari voluit  
Olaus Nicolai Berch,  
Smoland.

59. Adr: Samuel Olai Löfwing – Aut: Petrus Angelstadius (cf. 57)

SKB, H, [Tartu UB]

GRATULATIO

Est infinitus labor infinita referre;  
Finitus studium finiat, opto, labor.  
Perge, ut coepisti, doctae servire Minervae;  
Et studia accrescent re meliore tua.

Honoris E. app.  
Petrus Angelstadius,

Smol-Svecus.

60. Adr: Olaus Michaelis – Aut: Laurentius Ludenius (Oratio de bello: quam, in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ 27. die Martij an. 1645. publice /.../ enarrabat Olaus Michael, /.../. Dorpati, 1645: J. Vogelius) SKB, UUB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Doctiss. et Ornatiss. Dn. Peroranti.*

OLAUS MICHAELIS.

*Per Anag.*

MIHI SALUS CAELO.

*Rara SALVS, cum praecipitant Mars iraque mentem.**Certa MIHI CAELO, Christe, parata Salus.*

Quod in felix omen ap.  
Laurentius Ludenius, Ph. et J.U.D.  
ac Profess. Publ.

61. Adr: Olaus Michaelis – Aut: Petrus Caroli Udenius (cf. 60)

SKB, UUB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Nobile Pierij decus, o OLAVE, Theatri;  
Gnaviter exponis, bello nil noxius esse,  
Quodque mage humana procul a ratione recedat,  
Pro patria vero decus est profundere vitam.*  
5 *Nam reliqui cives tali virtute regentur,  
Et salvae interea matres, natique manebunt,  
Qui sunt aetatis venturae semina et orbis.  
Templa manent, Legesque bonae, pietasque pudorque;  
Et tunc quisque suis rebus fundisque fruetur,*  
10 *Dum pulsi fugiunt hostes in patria regna.  
Gratulor hincce tibi: Deus Omnipotens precor adsit,  
Vt tibi surgat honor longo durabilis aevo,  
Atque favente Deo, perdulcia gaudia crescant.*

Felicioris ominis ergo, Sympatriotae suo  
suaviss. haec app.  
M. Petrus Caroli Udenius,  
W-Gothus, SS. Theol. Stud.

62. Adr: Olaus Michaelis – Aut: Sigvardus Wallingh (cf. 60)

SKB, UUB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Quod dubio belli vis tempore Martis acerba  
Christicolos vexat, rite docere studes.*  
*Quodque homines celebri natos de sanguine tollat,  
Atque rudes pariter quod tulit orbe, doces.*  
5 *Perge diu rerum numerosa pericula narrans,  
Atque tibi semen fertile, crede, feres.*  
*Perge diu tractans digne ista, Deoque Patrique,  
Ac Patriae, semen fertile, crede, feres.*

Sigvardus **Wallingh**

63. Adr: Haquinus Platinus – Aut: Laurentius Ludenius (Disputatio theologica in caput duodecimum a v. 1. usque ad v. 20. D. evangelistae Iohannis selectissimas notas exhibens, in Regia Academia Dorpatensi publicae censurae /.../ subjicietur, praeside Andrea Virginio, /.../ respondente /.../ Haquino Platino, /.../ die <> Aug. anni 1645. Dorpati Livonorum 1645: J. Vogelius)

SKB, Växjö LB, BRAN, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Praestantiss. et Humaniss.*  
*Dn. RESPONDENTI.*  
M. HAQUINUS MAGNI PLATINUS:  
*Per Anag.*  
QUIN MAGNIS HUMI PLATANUS?

QUIN MAGNIS ut HUMI PLATANUS sis? *Praeside Christo,*  
Aëria aestivos PLATANUS diffundat honores.

Quod in felix omen app.  
Laurentius Ludenius, Ph. et J.U.D.  
Profess. Publ.

64. Adr: Haquinus Platinus – Aut: Gamaliel Bergius (cf. 63) SKB, Växjö LB, BRAN, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Christus abest, moritur dum Lazarus: Ecce Redemptor*  
*Christus adest; vitam Christus inire iubet.*  
*Lazarus haud poterat Christo clamante tacere;*  
*Surgit, et in vitam jam revocatus adest.*  
5 *Christe juva; Duce te non mors aeterna nocebit;*  
*Te Duce, sub medio funere vivus ero.*  
Delicium Eusebiae, et Sophiae dilecte Magister,  
*Felix, qui tantum re meditaris opus.*

Gratulabundus sc.  
Gamaliel Bergius,  
Eccles. Laiensis Past.

65. Adr: Haquinus Platinus – Aut: Andreas Matthiae Torpensis (cf. 63) SKB, Växjö LB, BRAN, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Si meritas possem laudes conscribere; coepto  
Carmine, nunc vellem dicere laeta tibi.  
Nam velut in castris Musarum degere oportet,  
Hoc Clariae docta praecipis arte viae.  
5 Gratulor ergo tuis coeptis; venerande Magister;  
Insistas coeptis, qua decet ire via;  
Huc ades, o Jesu, Pulcris bonus annue coeptis,  
Sic labor hinc Studio praemia digna feret.

Moris, honoris et amoris ergo  
addidit  
Andreas Matthiae Torpensis.

66. Adr: Haquinus Platinus – Aut: Carolus Ruberus (cf. 63) SKB, Växjö LB, BRAN, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Sic pia rimaris mysteria, praeside Christo,*  
*Quae sunt aethereo rite sacrata Deo.*  
*Apprecor aeternum Numen tua coepta secundet;*  
*Et Platanus laeta sorte Platinus erit.*

Candidi honoris ergo apponebat  
Carolus Ruberus,  
Smolandia Svecus.

67. Adr: Carolus Ruberus – Aut: Laurentius Ludenius (Disputatio physica de temperamento; quam /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae est Dorpati /.../ ad diem 5. Julij 1645. /.../ sub praesidio /.../ Johannis Erici Stregnensis, /.../ publice ventilandum exhibet Carolus Ruberus, /.../. Dorpati Livonorum, 1645: J. Vogelius) SKB, UUB, H, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Doctiss. et Ornatiss. Respondenti.*

CAROLUS RUBERUS:

*Per Anag.*

CURSURUS ELABOR.

*Fortis, et ad palmam per me CURSURVS honoris,*

*ELABOR: Christo concomitante, beor.*

In felix omen app.

Laurentius Ludenius, Ph. et J.U.D.

Profess. Publ.

68. Adr: Carolus Ruberus – Aut: Faderus Uraelius (cf. 67)

SKB, UUB, H, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Qvi Sophiae Musis, sudore operatur amico,*

*Ipsa operam cum spe divite rite locat.*

*Namque ferunt Musae cultorem rebus honestis,*

*In campum et ponunt cum pietate virum,*

5 *Certe Temperiem rerum rimaris; et intras*

*Jam Sophiae, Christo concomitante, viam*

*I bene, RVBERI, meruit ceu vivida Virtus*

*Perge; Juvet Christus, prosperitasque beet.*

Quod animitus Amico suo sincere

precatur

FADERUS URAELIUS,

Smoland.

69. Adr: Carolus Ruberus – Aut: Petrus T. Loohm (cf. 67)

SKB, UUB, H, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Temperies rerum quid sit, describis, Amice*

*CAROLE, Delicium jugis Amicitiae.*

*Colligo, Temperiem cerebri tribuisse benignam,*

*Qui dedit ipse animam et corpora pulcra, Deus.*

5 *Perge piis studiis, et tramite semper eodem*

*Curre, tui ingenij sic bona temperies.*

Amicitiae et honoris E. apposuit

haecce paucula

Petrus T. **Loohm** /

70. Adr: Andreas Helgonis Udbingius – Aut: Laurentius E. Emzelius (Disputatio physica de natura elementorum in genere; quam /.../ in Regia Academia Gustaviana, /.../ ad diem 3. Maji, /.../ sub praesidio /.../ Johannis Erici Stregnensis, /.../ publicae disquisitioni subjicit Andreas Helgonis Udbingius, /.../. Dorpati Livonorum 1645: J. Vogelius) SKB, UUB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Doctrina et Humanitate conspicuo Viro Juveni,*

*Dn. Respondenti, Thesium harum Authori.*

ANDREAS HELGONIS UDBINGIUS,

*ἀναγράμ.*

RE DIGNA, HIS LONGE SUDANS, UBI.

Egregium facinus, DIGNA sic Re stimulante,  
 Praestas, HIS SUDANS, pergis UBI Physicis!  
 Uraniae soboles, LONGE, *Udbingi*, Arte recludis,  
 Quid valeant Genij candida signa tui.  
 5 Quippe doces veterum quae sint primordia rerum;  
 Quo tendant, quid agant singula, quidquid velint.  
 Gratulor incaeptis, grator successibus atque  
 Gratulor ingenio, quod tibi Musa dedit.  
 HIS SUDANS faustis decurras passibus: alma  
 10 Musaque ti faveat, Thespiadumque chorus.  
 Atque UBI rite manes, DIGNA sic RE stimulante,  
 HIS SUDANS, praestas nobile mentis opus.  
 Det Io saCra trIs CaeptIs hIs VeLa seCVnDa<sup>4</sup>  
 QVo feLIX CVrsV, tangere sCeptra qVeas.

Ita fraterni ex animi affectu gratulatur  
 LAURENTIUS E. EMZELIUS,  
 West-Gothus, SS. Theol. Stud.

71. Adr: Godefredus Walter – Aut: Joachimus Rachelius (Dissertationum politicarum prima  
 observationes politicas in prologum et caput 1. lib. I. L. An. Flori exhibens quam /.../ in Academia  
 Gustaviana publico doctorum examini subjicit Andreas Sandhagen, /.../ respondente Godefredo  
 Walter, /.../ ad diem 7. Junij /.../. Dorpati Livonorum 1645: J. Vogel) SKB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Ad*

Dn. Respondentem.

*Cvm pingui caput ebrium falerno  
 Vix jam Pantalabus sophista tollit,  
 Cum Thebas duplices, decemque Lunas  
 Miratur simul, horridosque Faunos  
 5 Cum tota putat ambulare silva.  
 Tum quicquid sapientiae sub imo  
 Clusum pectore sobrium latebat  
 Eructat madidus feroce lingua.  
 Tunc ille omnia et universa novit,  
 10 Novit omnia et universa solus:  
 Quicquid Cecropij docent Pelasgi,  
 Quicquid Biblia Sacrosancta Mystov  
 Quicquid porticus ipsa, quicquid hortus,  
 Quicquid in Tacitoque Julioque  
 15 Narrat postgenitis diserta fama,  
 Quicquid Livius elaborat ingens;  
 Quicquid Consule Romulo patratum est  
 Quicquid Caesare Manlio et Cethego;  
 Tunc ancillula quae cubile sternit  
 20 Admirans ait haec, manumque tollens:  
 Dij magni Salapusium disertum!  
 Sed postquam hunc Bromius furor reliquit  
 Tum fit Pantalabus Sophista caudex.  
 Verum non ita mens tibi est, Amice*

<sup>4</sup> *SeCVnda* edd : *SeCVnDa* corr

- 25 *VVALTERE, Aonij decus Lycei:  
Non tu e doliolo, sed e cathedra  
Cordata modo Disputatione  
Authorem Latium excutis, sed illum  
Doctum, Juppiter, et laboriosum!*
- 30 *Quin tute es, Gothofrede, tute doctus  
(At non Juppiter) et laboriosus.*

Joachimus Rachelius,  
Londinensis.

## 1646

1. ADR: Jonas Nicolai Bringander – AUT: Laurentius Ludenius (De Smalandia oratio, quam /.../ in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ die 11. Julij an. 1646. publice /.../ enarrabat Jonas Nicolai Bringander, /.../. Dorpati Livonorum, <1646>: J. Vogelius)

SKB, UUB, Lund UB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Doctiss. et Ornatiss. Dn. Peroranti.*  
JONAS NICOLAI BRINGANDER:  
*Per Anag.*  
IN RE DIGNA ORNABIS INCOLA!

IN RE sic DIGNA ORNABIS Patriam INCOLA! Dexter  
ORNES, Deo Duce, INCOLA.

In felix auspiciū app.  
Laurentius Ludenius, Ph. et J.U.D.  
Profess. Publ.

2. ADR: Petrus Petri Byringius – AUT: Laurentius Ludenius (Disputatio physica, de mixtione; quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ sub praesidio /.../ Johannis Erii Stregnensis, /.../ publice ventilandam et discutiendam proponit Petrus Petri Byringius, /.../ ad diem < > /.../. Dorpati Livonorum, 1646: J. Vogelius)

SKB, UUB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Doctiss. et Humaniss. Dn. Respondenti.*  
PETRUS PETRI BYRINGIUS:  
*Per Anag.*  
NUPER-BYSSI RITU PERGIT.

BYSSUS uti species est subtilissima lini,  
Effulgens picturatae sub tegmine vestis:  
Sic NUPER BYSSI RITU; Duce et Auspice CHRISTO,  
PERGIT Castalias ornare BYRINGIUS Artes.

In felix auspiciū app.  
Laurentius Ludenius, Ph. et J.U.D.  
Poët. Cor. Prof. P.

3. ADR: Petrus Petri Byringius – AUT: Johannes Petri Kuuth (cf. 2)

SKB, UUB, [Tartu UB]

GRATULATIO

- Evri ni rapidos, vagosque Cauri  
Flatus, Hippotades potens vocaret;  
Qui vastas strepitu suo, volutant  
Vndas, Coerulei maris frequentes,*
- 5 *Putrescunt; refluxus Thetys liquores*

*Commutat placidos in insalubres.  
 Et mollis nisi vertitur supino  
 Tellus, vomere, carduus nocivus  
 Surgit; tum lolium rubusque crescit;*  
 10 *Dulces nec segetes refert colono.  
 Ferrum usu potiore si carebit  
 Admotae rigidi, manus, Perylli,  
 Proh rubigine rumpitur nociva.  
 Et sic Ingenium suum si homo non*  
 15 *Exercet studiis bonis frequenter,  
 Praeclarum cito redditur supinum.  
 Conatus igitur tuos perennes,  
 Laudo, PETRE, fidelis o sodalis,  
 Pulchrum Piëridum decus Sororum,*  
 20 *Quod rubigine non sinis perosa,  
 Allidi Ingenium tuum; sed acris,  
 Urges mentis opus: et hinc Camoenae,  
 Dulces te, Charites fovent amantque;  
 Nec te Murtia laedit, ille iniquus*  
 25 *Nec Bacchus, nec iniquior Cupido;  
 Sed te Delius augur ille ducit,  
 Pulchrum nomen ad astra fert suprema:  
 Et te, dum patrios amas Penates  
 Vidisse: o Deus almus ut secundo*  
 30 *Ducat flumine, tum reducat, oro.*

Ita Conturbernali suo Charissimo L. mque gratulari voluit

JOHANNES PETRI **Kuuth** / Suderm.

4. Adr: Christina – Aut: Laurentius Ludenius (Victricia arma, /.../ Gustavi Adolphi, /.../ patris herois; /.../ Christinae, filiae heroinae /.../ Svecorum, Gothorum, Vandalorumque regum; /.../ parentatione anniversaria, in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ die 6. Novembris anno 1646. /.../ aeternitati consecrata a Laurentio Ludenio, /.../. Dorpati, 1646: J. Vogel.)<sup>5</sup>

SKB, UUB, Växjö LB, H, [Tartu UB]  
DEDICATIO

*Serenissimae et Potentissimae Principi  
 ac Dominae,  
 DN. CHRISTINAE,  
 Dei Gratia, Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Reginae, ac Principi Haereditariae; Magnae Principi  
 Finlandiae; Duci Esthoniae et Careliae; Dominae Ingriae; etc.  
 Victrici, Piae, Felici, Augustae, etc.  
 Vitam, Incolumitatem et Felicitatem p.p.*

*PATRIS, et aequaevae SOBOLIS, FLATUSque SACRATI  
 Annuat aeterna PACE perennis AMOR!  
 Est DEA dicta CHARIS, Natura mitis et Annis,  
 PACIS amans, Orbis deliciosa CHARIS.*

<sup>5</sup> Idem 1636.14; 1643.21; 1644.4; 1645.13; 1647.17; 1648.13; 1649.16; cum variatione 1648.12; cf. 1641.11; 1642.19-20.

CHRISTINA,  
REGINA SVECIAE:  
*Per Anagram.*  
CHARIS  
IN REGNA IT SVECIAE.

- 5 *Sancta CHARIS, CHRISTINA CHARIS; Regina Serena  
IN REGNA IT SVEONUM deveneranda CHARIS.  
Est Pater Illustris Phoenix in Prole renatus:  
AdVeniat, Videat, Vincat amica CHARIS!*

SS. Reg. Maj. Symbolum:  
CHRISTUS REFUGIUM SUORUM.

- 10 *Nam RE conFUGIUM REGINAE CHRISTUS: ab alto  
Irradians, complens Regia Corda, VIGOR.  
CHRISTUS, Numen, Honos, nitidissima Vita SUORUM:  
Arctoi Regni Lux, Sator, alma Salus!  
Salve, Sancta CHARIS! Salve, REGINA! IEHOVA  
Auspice, sis regni deliciosa CHARIS.*

Dominae et Reginae suae Clementissimae,  
Humilime.

5. Adr: Jacobus Petri Columbus – Aut: Nicolaus Psilander (In laudem poeseos oratio metrica; quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana Adolphina, /.../ die 10. Decemb. anno 1645. publice /.../ enarrabat Jacobus Petri Columbus, /.../. Dorpati Livonorum, 1646: J. Vogelius) Växjö LB, [UUB], [Tartu UB] GRATULATIO

*Praestantissimo et Literatiss.*  
DN. JACOBO COLUMBO,  
de Laude Poëseos Docte, et Methodice  
Peroranti.

- Vectori Paphiae, murmur gemitusque per auras  
Fundenti, Nomij tibia blanda placet!  
Dicam cur placeat: Phrygiam transvecta Dione,  
Orditur passim facta referre Midae.*
- 5 *Arcadiae Numen canna stridente minatur  
Phoebo, qui cithara carmina docta canit.  
Pana jubet Tmolus, citharae submittere cannas;  
Idque Echo, Dryades, ripa virensque jubet.*
- 10 *Judicium ast stolidum, stolidus vocat arbiter, ultro  
Collaudans cannas Panos ubique Midas.  
Hinc patulas aures, tarde gradientis Aselli,  
Induit, ut Foveae filia, cannae, refert.  
Haec Cytherea docet, volucrum sed Chaoniarum  
Altera, dat murmur; Mira referra Deam.*
- 15 *Simplicium ducens vectorum corda, Dione,  
Incipit et Deli dicere dona Dei:  
Inclytus Amphion Thebanae conditor urbis,  
Phoebeja potuit saxa movere lyra.*

- 20 *Orpheus Eurydicen, Diti dum praecinit, aufert,  
Tanta extat Virtus Artis Apollineae.  
Haec vix absolvit: volucrum mox Chaoniarum  
Altera, colla movens decutit usque jugum.  
Guttur, ait, querulum est; Viduo solatia desunt:  
Ut me detinuit, prodidit ipsa Dea.*
- 25 *Deserit hinc Paphiam pernix, secat aethera pennis,  
Adque Helicon venit, discat ut Arte modos.  
Hinc est quod viduum, videas cantare COLUMBVM:  
Nae, propter Daphnen tibia blanda placet.*

Syncero sincere app.  
Nicolaus Psilander,  
Schmol-Svecus.

6. Adr: Jacobus Petri Columbus – Aut: Andreas Bergh (cf. 5) Växjö LB, [UUB], [Tartu UB]

GRATULATIO

- Avdi; mira loquor: resonant Academica Tempe;  
Culta Columbino carmina ab ore fluunt.  
An non est culti Nasonis imago COLVMBVS?  
Est: o quam pulchre, culte COLVMBE, canis!*
- 5 *Vera laudandam tu laudas laude Poësin,  
Quae facit ut famae stet sine morte decus.  
Insta cantando; cane carmina culta, COLVMBE,  
Delius et meritas cinget honore comas.  
Tandem ceu vivunt Nasoque Maroque Poëtae;  
10 Carmine, sic vives, culte COLVMBE, tuo.*

Τῆς φιλαδελφίας ἕνεκα τὰντα ὀλίγα  
ἔυμενέως προσέθηκεν  
Andreas **Bergh** /  
Wesman.

7. Adr: Dorothea Eckholtz – Aut: Laurentius Ludenius (Epicedion, in /.../ obitum ac abitum /.../ Dorotheae Eckholtz, /.../ Henrici Staheln, per Ingriam, Narvam et Alentackiam superintendentis /.../ Regiique Consistorij Narvensis praesidis /.../ uxoris; quae /.../ die 17. Maij an. 1646. /.../ denata; cujusque exuviae, Narvae 29. die Julij, anno eodem, in templo recens /.../ extracto /.../ terrae commendabantur: scriptum ab amicis et condolentibus. Dorpati Livonorum, 1646: J. Vogel)

Linköping LB, [Tartu UB]  
EPICEDIUM

### Sub Persona pie Defunctae.

- Primum ego vitalis postquam hausi luminis auras;  
Patria me teneram cepit Revalia Civem.  
Ipse ECKHOLTZIades meritis Pater optimus altis;  
MARGARIS et **Reyers** Genitrix charissima nostra.*
- 5 *Ut prognata, sacri Baptismatis amne renascor;  
DOREOTHEA vocor; DOMINO concredita, vivo.  
Dante Deo, cresco Natura mitis et annis,  
Accrescit Pietas castaeque modestia vitae.  
Doctior Aoniis Musis, Sophiaeque Magister*
- 10 *STAHLIADES; CHRISTI sanctae Eusebiaeque Sacerdos;  
Vidit; et ut vidit pulcrum per membra calorem  
Traxit; et in socio conjungi optavit amore.*

Annuit Omnipotens, et Proximitate Propinqui:  
 Ducimus una auram placidam, vitamque beatam:  
 15 Et pulcra felix succrescit origine Proles.  
 Creditus HENRICUS Musae est, EBERHARDUS ut Armis;  
 Inde PHILIPPUS, adhuc tener est ARNOLDUS, et Infans  
 AXELIUS, DOMINO CHRISTO sacratus et Arti.  
 MARGARIS hinc Virgo, pia DOREOTHEAque vivunt,  
 20 Aetherei donec Patris fert alma voluntas.  
 Sed pia Progenies mea, ADAMVS, et inde JOHANNES,  
 Et SOPHIA, et gemina in Partu demortua Proles;  
 Coetibus Angelicis felix sociata Propago.  
 At gravis exoritur macies, et corpora languent;  
 25 Ut dia accepto sacrae solemnina Coenae:  
 Et Deus ipse jubet placido succedere *Letho*.  
 O Thalamis dilecte meis, venerande Marite,  
 Aeternum Salve! Salve Dilecta Propago!

DOREOTHEA ECHOLTS:  
*Per Anag.*  
 ST! HOC A LETHO REDEO.

ST! Deflare mei tu noli funera fati,  
 30 HOC A LETHO etenim REDEO, cum venerit aevi  
 Terminus; et CHRISTVS patefactis ossa sepulchris  
 Eliciet, pulcramque animam virtute reponet.

Quod ultimo honori ap.  
 Laurentius Ludenius, Ph. et J. U. D.  
 Poët. Cor. et in Regia Academia GUSTA-  
 Viana ADOLPHIna P.P.

8. Adr: Dorothea Eckholtz – Aut: Petrus Trottonius (cf. 7)

Linköping LB, [Tartu UB]  
 EPICEDIUM

*O Mors! o dirae, crudelia Numina, Parcae!*  
*O Mors, collimas in cunctos spicula dira!*  
*Ulli non parcis! nullo discrimine inermes*  
*Obruis, et Martis Fortes prosternis Alumnos!*  
 5 *Pauperies nec te; te opibus nec tardat onustus;*  
*Nulla iuvat Pietas, non flectit Amicus Amoris,*  
*Non animi Candor, species nec corporis ulla;*  
*Communi pariter gladio, Mors, guttura cingis!*  
*Exemplum DORTHEIA oculis proponitur **Eckholts:***  
 10 *Dives Avis, Proavis; habitu et virtute coruscans,*  
*Foeminei insigne exemplum gregis, et decus altum;*  
*Ante diem, longam in noctem sua lumina claudit!*  
*Vivere per multos dignissima Nestoris annos.*  
*Non secus ac fumus, flos, ros, nix, somnia, bulla*  
 15 *Evanescunt, et nequeunt durare per annos;*  
*Sic abeunt nostri subito anni, tempus et aetas!*  
*Sed miserae quid conquerimur nos tempora vitae,*  
*Cum moeror, labor, atque angor sit longius aevum?*

Plena est terra malis, suntque aequora plena malorum!  
 20 Aut quid lugemus, quod sit violentia mortis?  
 Cum Mors aeternae sit candida janua vitae  
 Laetitiaeque: docet sacri ceu pagina Verbi.  
 Antistes Domini, chara viduate Marita,  
 Siste, precor, lacrymas; modulum quoque pone dolori:  
 25 Non periit conjux; coeli laeta Incola vivit;  
 Et veniet tempus, tumulo quo membra resurgent,  
 Gaudia et hinc cernet coelorum, ubi vita perennat.  
 Pone modum lacrymis, nimium et sepone dolorem:  
 Cum pia sit Conjux dilecta in Prole renata.  
 30 Discite vos Gnati, tristes deponere motus;  
 Immodicos fletus inhibere et discite Gnatae:  
 Sancta dato Genitrix laetans nunc vivit Olympo.  
 Tristitiae Gnati et Gnatae, praescribite finem:  
 Dante Deo, Pater est casus sortisque levamen,  
 35 Sollicitusque piae officium Genitricis adaequat.

ANNO:

HIC DORTHAEA EChoLts Letho soplta qViesCo:  
 EXVLto at feLIX, et VIVo Deo assoClata.<sup>6</sup>

In veram condolentiam paucula  
 haecce lugens fundebam  
 M. Petrus Trottonius,  
 Scholae Narv. Rector.

9. ADR: Dorothea Eckholtz – Aut: Nicolaus Psilander (cf. 7)

Linköping LB, [Tartu UB]

EPICEDIUM

DOROTHEA ECHOLT:  
*Ἀναγραμματιζομένη;*  
 CLOTHO, TRAHE DEO.

Omne quod immensus gremio complectitur orbis,  
 Parcarum nutu fitque, caditque dato.  
 Atropos observat nunquam revocabile; CLOTHO  
 Praesens; et Lachesis quaeque Futura tenet.  
 5 Auxilio Themidos, commiscent mollia duris;  
 Quod faciles nectunt, id facile inde secant.  
 Revaliae mihi Triga dedit, Miti Prothyraea  
 In lucem nasci, et cernere facta Jovis.  
 Interea naevum, qui ferret semina Mortis,  
 10 Adjunxit Lachesis, Mater amara Necis.  
 Accrevi docta Charitum comitante caterva,  
 Sed carpsi teneras non sine sente Rosas.  
 Splendida virtutis conantem visere tecta,  
 Ad Limen pupugit consita sylva vepre.  
 15 Haec Pubes didicit: Paulo sed adultior aetas,

<sup>6</sup> Distichon annum 1646 exhibens



*Ipsa EKHOLTIADUM clara de Gente Propago,  
 Clari uxor **STAHLENS** / DOREOTHEA fui.  
 Natalem mihi chara dedit Revalia lucem;  
 Sed mihi lethalem Narva togata dedit.*  
 5 *Inde novo recubant tumulo mea molliter ossa,  
 Ipsa anima in sancta sede beata manet.  
 Cumque θεοῦ fuerim δῶρον, repoposcit Iöva  
 Justo Judicio, quod fuit ante suum.*  
 10 *Ergo mihi quondam STAHLI dilecte Marite;  
 Et pia Progenies, lumina sicca refer.*

In signum condolentiae haec  
 pauca adjeci  
 Andreas **Bergh** /  
 Wesman.

11. Adr: Dorothea Eckholtz – Aut: Johannes Petri Kuuth (cf. 7)

Linköping LB, [Tartu UB]  
 EPICEDIUM

Incipe luctisonos, mea Clio, fundere Versus,  
 Cordivorumque meum nunc nunc reserare dolorem!  
 Tu Pater inde veni, Musarum Ductor Apollo,  
 Flebilibusque modis nostris sub moenibus altis,  
 5 Tange lyram digitis, lugubria carmina finge!  
 Singultusque novos vos triplice Numina nodo  
 Blandidulae Charites, pro laeto fundite cantu!  
 Anxia proque jocis suspiria ducite Musae.  
 Scinde comas Pietas! niveam Spes rumpe Coronam!  
 10 Pro violis piceam, verno pro flore cupressum  
 Imponens capiti: Sunt omnia plena doloris.  
 Tu pariter Probitas luge! et tu blanda Venustas  
 Luctus pande novos! iterum lugete Camoenae!  
 Castalides mecum tristi date carmina voce!  
 15 Moesta repercussis blateret quoque turribus Echo.  
 Occubuit rapidae mortis transfossa pharetris  
 DORTHEA, egregij Conjunx charissima STAHLI,  
 Qui Superattendentis habet sacra munera fidi,  
 Vasta ubi terra jacet Bellacibus Ingria Moschis  
 20 Proxima, quam surgens tangit Livonia tractu.  
 Proh dolor! occubuit, quae vivere Nestoris annos  
 Digna fuit, sera non dum turbante senecta.  
 Proh dolor! occubuit, Conjunx dilecta Marito  
 Quae fuit, et charis Gnatis fidissima Mater.  
 25 Et Virtute valens, natura mitis, et aequae  
 Delicium vitae, cunctis optata Venustas.  
 Heu Lachesis! Lachesis! quae te dementia coepit?  
 Quid procul inclamas? quid vult sibi ferrea Clotho?  
 Telegonive Parens magica, et furialis Erynnis?  
 30 Atropos unde venit? cur fila virentia frangit?  
 Cur portat positum tristis Libitina feretrum?

Sicne probos reprobosque simul discrimine nullo  
 Tollitis hinc Parcae, mortisque immergitis umbrae?  
 Nil Pietas Probitasque iuvat! Nil splendida Virtus;  
 35 Nil Doctrina sagax; hominem nil blanda Venustas;  
 Nil Fortuna iuvat; nil auri pondera Midae;  
 Nec quidquid gremio vastus complectitur orbis  
 Soeva valet subitae dirumpere spicula Mortis.  
 O damnosa dies! audax qua ferre Prometheus  
 40 Ausus erat coelo calidos mortalibus ignes,  
 Nescius ipse mali damni sine fine sequuti.  
 Tunc Epimetheus: Pandora et tunc pixide sumpta  
 Intulit in mundum cujusvis semina morbi!  
 Exoritur macies, sanies, mala Pestis; iniquus  
 45 Hincce tumor, febris, scabies, myrmecia, phlegma,  
 Tandem post varios quassantes corpora morbos,  
 Mors inopina venit, coecis adoperta tenebris,  
 Et dulces trepidis animas mortalibus aufert.  
 O fragilem Vitam! o volucrem pernicibus alis!  
 50 Quam subito o hominis currentia stamina rumpunt  
 Parcae! quam subito nos fata propinqua fatigant.  
 Sed nos Christicolae, Virtus quibus Enthea cordi est,  
 Nos rapidae haud terrent Parcae, nec spicula Mortis,  
 Nec Stygiis quae sunt umbris concredita Monstra:  
 55 Scimus enim vere quod vivificata resurgent  
 Corpora de tumulis, mundi cum clauditur aetas,  
 Et tuba per densas sonitum dat stridula nubes.  
 O STAHLI, Eusebiae et Christi Divine Sacerdos,  
 O pia Progenies Vita exoptata Parentum!  
 60 Vincite vos lachrymas; pressum sub corde dolorem  
 Vincite; cordifluum superando vincite luctum!  
 Nam Mors haec, non Mors; venturae est Janua vitae,  
 Et posita ad nostrum Pastorem Semita Christum.  
 Non periisse potest, DORTHEA: o vivit Olympo!  
 65 Cum Christo vivit! Superumque beata frequentat  
 Atria: et in dulci permulcet sidera cantu.

Ultimi Honoris et Condolentiae  
 contestandae ergo lugens  
 adiecit  
 Johannes Petri **Kuuth** /  
 Sudermannus.

12. Adr: Dorothea Eckholtz – Aut: Andreas Andreae Tremulander (cf. 7)  
 UB]

Linköping LB, [Tartu

EPICEDIUM

*Dvm ver purpureis depingit floribus arvum,  
 Frondibus et sylvas, tempora laeta, ciet.  
 Omnia tum laeto fundunt nova gaudia plausu,  
 Multis in terris jubila mille sonant.*  
 5 *Res sed nulla valet firmo consistere talo,  
 Heu permutatur quidquid hic orbis habet.*

*O dolor! o lacrymae! miscentur tristia laetis,  
 Florem vernantem tristia fata necant.  
 Tempore, monstrat idem, DORTHEA beata, recenti,  
 Praeclare docti Nomine et Arte Viri  
 10 HENRICI STAHELENS quondam dulcissima Conjux,  
 Curva quae mortis falce perempta jacet!  
 Eheu, quam subito nutantes claudit ocellos,  
 Quae longo Pylis tempore digna fuit.  
 15 Ah! merito luges, HENRICE Verende, Minervam!  
 Dimidium cordis nosis abesse tui.  
 Ecce Dei cultrix! omni virtute coruscans!  
 Chara fuit superis Angelicisque choris.  
 Comis erat cunctis, semper benefecit egenis,  
 20 Vraniae soboli praemia opima tulit.  
 Hincce, PATER, nimios expellito corde dolores:  
 Nam bene scis justo sic placuisse Deo.  
 O Salve, exultans Anima! aetheris incola; Salve!  
 Salve deliciis coelica turba novis.  
 25 Laudibus aeternis extollis in aethere Jesum,  
 Et Sanctae Triadi cantica grata canis.  
 Te beat Omnipotens, ut in axe nitente corona  
 Multis praecedas, luminis instar: Ave.*

Condolens app.  
 Andreas Andreae Tremulander,  
 West-Gothia Svecus.

13. Adr: Dorothea Eckholtz – Aut: Johannes Henrici Aridlander (cf. 7) Linköping LB, [Tartu UB]  
 EPICIDIUM

**D** icite nunc, Musae, funebria carmina mecum  
 O mnes, nunc moestos Elegeia solve capillos;  
 R elligiosa etenim DORTHEA benignaque Mater  
 O ccidit; occubuitque, annis dignissima seris.  
 5 **T** u Superintendens, Mecoenas maxime noster,  
 H eu tristis res est! magna est tibi causa doloris!  
 E heu! sola fuit rebus solamen in arctis;  
 A gnovit Christum; sacri mysteria Verbi  
**E** xtulit ore pio; Legem meditando Jehovahae;  
 10 **C** armina grata Deo recitavit nocte dieque.  
**C** ongaudet pia mens jam Christo Coelitibusque:  
 H inc laete Ambrosia, fruitur quoque Nectare dulci.  
 O pie Mecoenas conceptos pone dolores;  
 L aeta dies tandem positus cum fulserit horis,  
 15 **T** empus erit, veteres ut nos meditemur Aristas.

Condolentiae E. apposuit  
 Johannes Henrici Aridlander,  
 Nöteb. Carel.

14. Adr: Dorothea Eckholtz – Aut: Mauritius Lemnerus (cf. 7) Linköping LB, [Tartu UB]  
 EPICIDIUM

*Fraudibus et rixis urbes, camposque refertos  
Coedibus, alma domus, relinquere moesta parat:  
Sed tibi pulchra domus quondam confertur et alma,  
Vilia non te, sed praemia magna manent.*

Paucula haec lugens adjicere  
vult  
Mauritius Lemnerus,  
Naumb. Misn.

15. Adr: Dorothea Eckholtz – Aut: Benedictus O. Vegrelius (cf. 7) Linköping LB, [Tartu UB]  
EPICEDIUM

*O STAHLINA Domus, lacrymas quid fundis obortas?  
Haud poterit Mater disperiisse tua.  
In vivis Regnum rutili sperabat Olympi;  
Mortuaque hinc adiit Regna beata poli.*

Condolens app.  
Benedictus O. Vegrelius,  
Suderman.

16. Adr: Dorothea Eckholtz – Aut: Daniel Danielis Nycopensis (cf. 7) Linköping LB, [Tartu UB]  
EPICEDIUM

Beate Defuncta loquitur.

O perfausta dies, claudo qua fata suprema, et  
Libera nunc tandem caelica tecta peto;  
Namque ego sat longe Morbi cruciamine pressa  
Aegra fui: lecto decubuique meo.  
5 Ast nunc educta omnino de clade malorum  
Pro lacrymis habeo gaudia vera Poli;  
In quo festivo promo nunc JUBILA plausu  
TRISAGIONque Deo Voce sonante cano.  
Ergo tuas lacrymas, mi blande Marite, relinque,  
10 Et cessa tristes edere voce sonos.  
Et mea tu Soboles, Gnati Gnataeque, subinde  
Lachrymulis vestris ponite quaeso modum.  
Chare Marite, Vale; Simul et mea chara Propago,  
Dux vitae his vitam reddet et Exuviis.  
15 Terra VALE, discedo lubens hinc rapta per auras:  
Coelum ter SALVE, triste Solumque VALE.

Sincerioris Condolentiae contestandae gratia,  
haecce pauca lubens appropere.  
Daniel Danielis Nycopensis,  
Sudermannia-Svecus.

17. Adr: Dorothea Eckholtz – Aut: Ambrunus Haquini Printzius (cf. 7) Linköping LB, [Tartu UB]  
EPICEDIUM

*Omnia mutantur spatiosi corpora Olympi;  
Fulgentes Stellae; scandens super aethera Titan,*

- Atque subit varias transitione vices  
Luna bicornis.*
- 5 *Gentes Neptuni tumidis in fluctibus alti  
Qui degunt pelagi, ceu pennigerumque caterva,  
Cantica quae tenui gutture grata canit,  
Fraude necatur.*
- Bestiolae in densis quae pollent robore sylvis,  
Nunc ferro, telis, laqueis nunc illaqueantur:  
Vernans en flectit sole cadente caput  
Herba caduca.*
- Montes, convalles, nullo fulcimine nixa  
Alma parens tellus; mutant perduntque vigorem,  
Et nequeunt jam, jam sustinuisse situm  
Mole premente.*
- Sic mortalis Homo mortis perstringitur ense,  
Durior exurit dum langvida corpora morbus.  
Haud Croeso haud Iro parcere quippe sciunt  
Tristia Fata.*
- 20 *O dolor! O lacrymae! decessit casta Magistri  
HENRICI **Stahlens** / quondam dulcissima, Conjunx!  
Occubuit cito quae vivere digna fuit  
Nestoris annos.*
- 25 *Floruit haec Mater virtutibus aucta beatis;  
Ipsa sibi peperit decus immortale: Verendo  
Vixit et ipsa suo chara Marita Viro  
Tempore toto.*
- Salve Anima! exultans, caelestis gaudia vitae  
Intras. O felix, felix super aethera pergis!  
Jam Domino Christo jubila laeta canis;  
Vsque triumphas.*

Ultimi honoris Ergo app.  
Ambernus Haquini Printzius,  
Westgothia Svecus.

18. Adr: Andreas Flojerus – Aut: Daniel Flojerus (Disputatio theologica in caput decimum septimum, a v. 1. usque ad finem, D. evangelistae Iohannis selectissimas notas exhibens, in Regia Academia Dorpatensi publicae censurae subjicietur, praeside Andrea Virginio, /.../ respondente Andrea Flojero, die < > Octob. anni 1646. Dorpati Livonorum, 1646: J. Vogelius) Växjö LB, BRAN, [Tartu UB]

GRATULATIO

- Dante Deo, satagit, rimari sensa Minervae,  
Doctus FLOJERUS, nostri pars pulcra Lycei  
Pulchrum opus, ac Sanctum; defendere perge sacrata:  
Perge pius: posthac et volve Volumina Sacra.
- 5 Sic CHRISTI Sparges praeclarum nomen in orbe.

Fatri suo germano ita gratulari  
voluit  
Daniel Flojerus,  
Smol. Svec.

19. Adr: Gustav Adolph – Aut: Laurentius Ludenius (Victricia arma, /.../ Gustavi Adolphi, /.../ patris herois; /.../ Christinae, filiae heroinae /.../ Svecorum, Gothorum, Vandalorumque regum; /.../

parentatione anniversaria, in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ die 6. Novembris anno 1646. /.../ aeternitati consecrata a Laurentio Ludenio, /.../. Dorpati, 1646: J. Vogel.)<sup>7</sup>

SKB, UUB, Växjö LB, H, [Tartu UB]  
DEDICATIO

REX  
GUSTAVUS  
ADOLPHUS.

*Per Anagramma;*

REX  
AUGUSTUS  
HAS DVPLO.

*SS. Reg. Maj. <sup>tis</sup> Symbolum:*

CUM DEO ET VICTRICIBUS ARMIS.

*Gratia, Christe, tua est; Patriae Civemque Patremque  
Quod gero, Res Sancti curo quod Imperij.*

*Gratia, Christe, tua est; quod Res Victricibus Armis  
HAS REX AVGVSTVS conduplicando DVPLO.*

5 *Christo Dante, mea Phoenix in Prole renatus  
Vivo: Deo Vivat Regia Progenies!*

20. Adr: Ericus Harkmann – Aut: Magnus A. Höök (Disputatio theologica in caput decimum sextum a v. 1. usque ad finem, D. evangelistae Iohannis selectissimas notas exhibens, in Regia Academia Dorpatensi publicae censurae subjicietur, praeside Andrea Virginio, /.../ respondente Erico Harkman, /.../ die <> August. anni. 1646. Dorpati Livonorum, 1646: J. Vogelius) Växjö LB, BRAN, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Eusebiae tractas quod sacra negocia, ERICE,*

*Inde tuus surgit non moriturus Honor.*

*Gratulor: Auspiciis tantis benedicat Iesus,*

*Dulcia sic Patriae commoda ferre potes.*

Honoris et Amoris ergo app.

Magnus A. **Höök** /

SS. Theol. Stud.

21. Adr: Ericus Harkmann – Aut: Israel L. Drysander (cf. 20)

Växjö LB, BRAN, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Gratulor ex animo tibi sympatriota, subinde*

*Quod video studio te ardenti incumbere Sacris,*

*Scripta Prophetarum et plenis addiscere votis.*

*Sunt, bene qui curant Diametrum mente profunda,*

5 *Et Stellas numerant quotquot supra axe moventur:*

*At tibi sit curae, Christum cognoscere, nostrae*

*Justitiae fontem. Labor is parit ominor omen!*

Ita Amico congr.

Israël L. Drysander,

Westmannus.

22. Adr: Ericus A. Holstenius – Aut: Laurentius Ludenius (Disputatio physica de metallis; quam, in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ praeside /.../ Johanne Erici Stregnensi, /.../ discursus colloquio submittebat Ericus A. Holstenius, /.../ ad diem <> /.../. Dorpati Livonorum, 1646: J. Vogelius)

SKB, UUB, Lund UB, [Tartu UB]

GRATULATIO

<sup>7</sup> Idem 1636.25; 1643.46-47; 1644.15; 1645.47; 1647.37; 1648.25; 1649.22.

*Doctissimo et Humaniss. Dn. Respondenti.*

ERICUS ANDREAE HOLSTENIUS:

*Per Anagr.*

DANTE IHESU, LENI SORS CURAE.

DANTE meo IHESU, LENI SORS candida CURAE:

IHESU DANTE, viret SORS mea, CURA mea.

In felix auspiciam p.

LAURENTIUS LUDENIUS, Ph. et J.U.D.

Poët. Cor. Prof. P.

23. Adr: Ericus A. Holstenius – Aut: Andreas Bergh (cf. 22)

SKB, UUB, Lund UB, [Tartu UB]

GRATULATIO

ERICUS HOLSTENIUS:

*Per Anag.*

CHRISTE, SOL VIVENS.

Fulgens aes, aurum, ferrumque ac cuncta metalla,

Orbis terrarum quae sinuosus habet;

Squalent neglecta; ast multo bene tacta labore,

Splendida purpurei Solis adinstar erunt.

5 Sic quoque neglectae squalens jacet indolis ardor:

Assiduo ast usu, solis adinstar erit.

HOLSTENIUS docta penna scrutando metalla

Ingenium splendens reddit ubique suum.

Hinc precor, hinc opto, VIVENS SOL, CHRISTE Redemptor,

10 Illius ut studiis semper adesse velis.

Et ceu purpureos radios Sol spargit in orbem,

Sic spargat clarum nomen in orbe suum.

ANDREAS Bergh / Wesman.

24. Adr: Jonas Johannis <Scarensis> – Aut: Ericus Holstenius (Disputatio de politicae natura in genere; quam /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ ad diem <> /.../ sub directione /.../ Johannis Erii Stregnensis, /.../ examinandam proponit Jonas Johannis Scarensis, /.../. Dorpati Livonorum, 1646: J. Vogelius)

UUB, Karlstad StB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Doctrinae morumque laudibus Praestantissimo Juveni,*

Dn. Jonae Johannis Scarensi, de Politices constitutione erudite disputanti

*Σύγχαρμα.*

In bello clarum sequitur pia adorea laudis,

Et Pietate gravis cinguntur tempora myrto:

Non secus in Clariis qui sudant rite palaestris,

Abstrusa et satagunt rimari sensa Minervae,

5 Ornantur laude, et crinita cacumina sertis.

Egregiam posuisti operam, Doctissime Jona,

Pallados in castris; testes, tua scripta manebunt

Quae bene defendis, contorta sophismata solvens.

Ominor hinc laetus; Christo Duce et Auspice Christo,

10 Tempus adest in quo tua cinget tempora laurus.

εὐνοίας χάριν προσέθηκεν  
Ericus Holstenius,  
Westman.

25. Adr: Andreas Johannis Limacius – Aut: Laurentius Ludenius (De diabolo oratio: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ ipso die Michaëlis Archangeli <29.9> anno 1646. publice /.../ enarrabat Andreas Johan. Limacius, /.../. Dorpati Livonorum, <1646>: J. Vogelius) SKB, UUB, Växjö LB, H, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Doctiss. et Ornatiss. Dn. Peroranti.*  
ANDREAS JOHANNIS LIMACIUS;  
*Per Anag.*  
DEUS ANCHORA LASSI ANIMI: NI!

Invidia volucer sic passim defluit hostis!  
NI DEUS ANCHORA LASSI ANIMI tutissima nostri,  
Humanas poterit mentes abducere Recto!  
Sed DEUS ANCHORA LASSI ANIMI tutissima nostri,  
5 Hinc tantae Pesti invicta virtute resistam.

Quod app.  
Laurentius Ludenius, Ph. et J.U.D.  
Profess. Ord.

26. Adr: Andreas Johannis Limacius – Aut: Abrahamus Georgii Thavonius (cf. 25)

SKB, UUB, Växjö LB, H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

ANDREAS LIMACIUS.  
Ἀναγράμ.  
MILES ARDUA CANIS.

Usque subi! usque sies meliore levamine MILES  
Fortis et assiduus: macte labore sies.  
ARDUA facta CANIS MILES pulcerrimus usque:  
Usque Deum laudes: hinc Satanamque fuges.

*Item.*

5 *Vox ut personuit tua docta per atria clare,  
Admirata fuit plebs nostri Academica Coetus  
Quando duces Stygios depingis et horrida Monstra;  
In quorum numero primum se Cerberus offert  
Tergemino capite et lingvis tribus: Inde seqvuntur*  
10 *Gorgones, Harpyjaeque truces: mox soeva Megaera,  
Tisiphone, Alecto reprobis infecta venenis.  
Describis coecis pallentiaque antra cavernis.  
Ingenium laudo, nec non tibi gratulor inde.  
Tartarei radiem quod taxas sic Phlegethontis*  
15 *Qua satagit justum prorsus traxisse sub Orcum.  
Talia quo vero Monstra exsuperemus: ad alnum  
Nos revocas Christum, qui vicit Doemonis ausus.  
Euge pium certamen inis! contendere perge,  
Parnassi salvus sic summa cacumina scandes.*

Humaniss. et Literatissimo Dn. Sympatriotae amice sc.  
ABRAHAMUS GEORGII THAVONIUS.

27. Adr: Andreas Johannis Limacius – Aut: Benedictus O. Vegrelius (cf. 25)  
SKB, UUB, Växjö LB, H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Qvonam, LIMACI, tibi fundam pectore carmen?  
Artes Sacratas, dum sine fine colis;  
Monstras egregie fraudes Satanae esse Malignas,  
Qui Sanctis astu tristia corda parat.*  
5 *Carcere sed clausus, sed pressa compede vinctus,  
Ne nos Lethaeae gurgite mergat aquae.  
Ardua res, fateor; res est foecunda laborum;  
Tu tamen hanc profers auxiliante Deo.*  
10 *Perge piis coeptis; Technas narraque Colubri,  
Perge; doce technas Daemonis effugere.  
Perge, sacris Studiis consumere dulcius aevum.  
Perge, et constanti Numina corde time.*

Ita Amico fido gratulari voluit  
Benedictus O. Vegrelius,  
Suderm.

28. Adr: Jacobus Petri Malbeckius – Aut: Laurentius Ludenius (In salutiferam resurrectionem Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, oratio: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ primis Feriis Paschatos an. 1646. publice /.../ enarrabat Jacobus Petri Malbeckius, /.../. Dorpati Livonorum, <1646>: J. Vogelius) SKB, UUB, Växjö LB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Doctiss. et Ornatiss. Dn. Peroranti.*  
JACOBUS PETRI MALBECCIUS:  
*Per Anag.*  
SIC PULCRE IBO! BEAT AMICUS.

SIC PULCRE IBO! BEAT me Christus AMICUS: Avernum  
Vincit is, et pedibus Tartara nigra premit.

In felix auspiciam app.  
Laurentius Ludenius, Ph. et J.U.D.  
Profess. Publ.

29. Adr: Jacobus Petri Malbeckius – Aut: Andreas Flojerus (cf. 28) SKB, UUB, Växjö LB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Scrutantur multi Stellata Palatia Coeli!  
Discere nec possunt penetrantis acumine mentis,  
Quomodo splendentes sparsaeque per aethera gemmae  
Perpetuis radient flammis, rapidoque rotentur*  
5 *Motu! Quod nitidus Phoebus se attollit ab undis,  
Atque iterum Hesperias festinus tendit ad Oras!  
Noctivagae Lunae scrutantur cornua multi,  
Quomodo nascantur, decrescant, atque recrescant!*  
10 *Ast tu, MALBECCI, nostri pars pulcra Lycei,  
Ardua scrutaris volvisque Volumina Sacra,  
Dum bene demonstras, ima tellure reposti  
Quod surgant iterum, redeant ac lucis in auras;*

- 15 *Ceu redit in vitam, domita vi mortis et Orci,  
CHRISTUS, quando dies se tertia protulit orbe.  
Ne cesses, opto, mysteria volvere sancta,  
Charus eris Patriae, dilectus eris quoque Amicis.*

Sympatriotae meo dilecto ita  
gratulari volui  
Andreas Flojerus,  
Smolandia Svecus.

30. Adr: Jacobus Petri Malbeckius – Aut: Andreas A. Malmenius (cf. 28)

SKB, UUB, Växjö LB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

- 5 *Si Carmen possem felici scribere vena  
Ipse, JACOBÉ, tibi faustissima cuncta voverem,  
Dum docta pergis tractare volumina mente,  
Vnde honor, et nomen, rerum et rata copia crescit.  
Ad lychnum vigilas; Divini Oracula Verbi  
Tractas; et DOMINI meditaris vulnera Christi.  
Perge piis animis: Studiis incumbere perge,  
Et capies sancti felicia praemia coepti.*

Lubens app.  
Andreas A. Malmenius,  
Sudermannus.

31. Adr: Jacobus Petri Malbeckius – Aut: Petrus Torstani Loohm (cf. 28)

SKB, UUB, Växjö LB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

- 5 Dulcius est quid,  
Quam bene posse  
De venerando  
Principe JESU  
Sic meditari?  
Ut facit ille  
Frater amicus  
Nomine **Malbeck**.  
10 Perge: supremum  
Dilige JESUM.

Haec amicae Fraternitatis E. app.  
Petrus Torstani **Loohm** /  
Smalandus.

32. Adr: Jacobus Petri Malbeckius – Aut: Andreas M. Rydelius (cf. 28)

SKB, UUB, Växjö LB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

- 5 *Eusebiae Studium dum tractas mente subinde,  
Docte JACOBÉ,  
Hinc Patriae atque Tuis commoda multa feres.  
Gratulor usque tibi, grator Genitoribus una  
Pectore toto;  
Ardua res studiis invigilare piis.*

Amicitiae contestandae  
E. appos.  
Andreas M. Rydelius.

33. Adr: Gabriel Benedicti Oxenstierna – Aut: Laurentius Ludenius (SS. Reg. Maj. regnorumque Sveciae ac Gothiae senatori /.../ Gabrieli Benedicti Oxenstierna, /.../ Regni Sveciae archithesaurario et judici provinciali Wermelandiae, etc. /.../ a SS. Reg. Maj. generali gubernatori per Livoniam /.../ electo et constituto; ac die 4. Februarij, anno 1646. /.../ Dorpatum ingredienti; /.../ in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ ex voto /.../ rectoris, totiusque senatus academici, /.../ app. animus et calamus Laurentij Ludenij, /.../. Dorpati, 1646:J. Vogel)

UUB, [Tartu UB (def)]  
PROSPHONETIKON

Aeternus Pater, et Soboles, Consorsque Duorum  
Spiritus, in Trino Deus unum Numine Numen;  
Cuncta cui, quondam quae praeteriere, vel adsunt,  
Quaeque etiam extabunt, soli sunt prompta patentque:  
5 Et dat dispositis consurgere Legibus Orbem,  
Atque sacro imperio praescriptos reddere cursus:  
Hunc laetum Musisque diem, Levonumque saluti  
Esse velit: gratusque Virum fragor aethera pulset.  
Ardua Progenies Heroum, ille inclytus Heros,  
10 Illustri Illustris GABRIEL de Gente, Potentum  
OXENSTIRNORUM Decus immortale Baronum.  
Regni Delicium; cui rerum maxima Virtus,  
Divinos inter Regni Proceresque Patresque  
Supremis proferre dedit de rebus habenda  
15 In dubiis Responsa, pias et reddere voces;  
Inde; Ostentat ubi celsas Stokholmia turres,  
Dives opum, velut in pelago molimine magno  
Constructa; Arctoo multum exornata potenti  
Imperio; Sveonum nitidissima gloria Gentis;  
20 Dexter adest. Genus Aligerum, Gens incola coeli.  
Angelici stipant cunei, comitantur euntem.  
Illustris sancte meritis Illustribus Heros  
Ille, GUBERNATOR GENERALIS, Praeside CHRISTO,  
Audiet, et sancti terras ditione fovebit  
25 Qua Boream acclivi sequitur Livonia tractu,  
Et sese immensis terris Esthonia tollit,  
Sanctaque Dorpta sui Mundi Microcosmus habetur.  
Exoptata novis oritur fortuna triumphis,  
Vox canit, ingentes visunt Capitolia pompas,  
30 Tranquillosque animos *Clemens Praesentia* plausu  
Imbuit, et votis felix allabitur aevum.  
Terrestre o Numen, Divus GUSTAVUS ADOLPHUS,  
Diis genitus, sanctis invictus viribus Heros,  
Dulce jubar Sveonum, Gothorum Phosphorus orbis,  
35 Quem sibi Consiliis Socium conjunxit, et alti  
Esse Senatorem Regni, Christo Auspice, jussit;  
*Salve Heros! Regni Salve Divine Senator,*  
Illustris *Salve* sanctis Regalibus actis!  
Soepius, Augustus Rex, Illustrissimus Heros  
40 Cum procul a Patria per bella recederet acta;  
Heroës sancte Illustris Illustribus ausis  
*Salvete*, in quos se cura inclinata reflexit

Dilectae Patriae, et nitidissima commoda Regni!  
 Soepius, Augustus Rex, Illustrissimus Heros,  
 45 Cum procul armisonas acies, fortesque phalanges  
 Duceret, alternans DOMINI vi praelia; donec  
 Arctous veluti Simpson GUSTAVUS ADOLPHUS  
 Clauderet in longum victricia lumina somnum;  
 Heroës *Salvete* Viri; *Salvete*, Beati  
 50 Usque Senatores Regni: Regalibus Actis  
 Salvete Illustres! Posuistis moenia Musis,  
 Per sanctos usus aggressi tollere portas  
 Ut gressum inferret seclorum Gloria CHRISTUS.  
 Regia Progenies GUSTAVI Regis ADOLPHI,  
 55 Heroïna, Decus Patriae, CHRISTINA, Serena  
 Arctoo Regina Throno, Solioque verenda,  
 Inclyta Divino sensu tenet Acta reposta;<sup>8</sup>  
 Sanctaque Dexteritas animis vigilantibus haeret.  
 Regalis donec nascenti flore Juventus  
 60 Adderet Augustos animos crescentibus annis,  
 In totam Regni quorum deducta Salutem  
 Cura fuit; *Salvete!* Genus sublime Deorum  
*Salvete!* et vitae sint immortalia secla!  
 Et tu, sublimis meritis illustribus Heros,  
 65 Celse Gubernator Levonum, *Salve*; Auspice CHRISTO,  
 Orbem sub placidos Legum dimitte recessus.  
*Salve*; et, Dante Deo, Divinos Numinis haustus  
 Enthea Relligio Populorum in pectora spargat.  
*Salve*; et Dorpati vireant Academica Tempe,  
 70 Dedita Virtuti, et castis habitacula Musis.  
*Salve*; et compostis<sup>9</sup> pacatum moribus aevum  
 Exsurgat: Surgat nostro Gens aurea Mundo,  
 Et sancti felix Reverentia floreat Aequi,  
*Salve*; et multa ferat leni medicamina dextra  
 75 Phoebus, et utatur relevantis viribus herbae.  
*Salve*; et Cecropiae madidi Latiaeque Minervae  
 Artibus accrescant; vitaeque prioris in acta  
 Irrumpat sanctusque Pudor, Verumque, Bonumque.  
*Salve*; et ruris amor totos florescat in annos,  
 80 Sitque frequens herbis tellus, et frugibus aestas.  
*Salve*; et Nobilitas tota illustretur; et Urbes  
 Totae illustrentur, Regioni ditia mittant  
 Munera, quae transmittit Arabs, quae decolor Indus,  
 Quaeque Novo quaeruntur opes dudum Orbe reperto.  
 85 *Salve*; et venturo laentur tempora seclo,  
 Et Rex introeat CHRISTUS rata Gloria Terrae.  
 Nos laetanti omnes testamur gaudia vultu.  
 Optamus celsi florem longissimus aevi  
 Terminus instauret, laetissima floreat aetas,

<sup>8</sup> *Reposta* pro *reposita* U metri causa

<sup>9</sup> *compostis* pro *compositis* metri causa.

90 Stet fortuna Domus Illustris Stirpe Potentum  
 OXENSTIRNORUM: Sancta Pietate vocante,  
 Erecto coelum vultu petat Enthea Virtus,  
 Atque per immensas surgant encomia terras.

In Regia Academia GUSTAVIANA ADOLPHINA,  
 quae Dorpati Livonorum est ad Embeccam,  
 Ex Voto Magnifici Dn. Rectoris,  
 totiusque Senatus Academici,  
 Ita humiliter app. animus et calamus  
 Laurentij Ludenij, Ph. et J.U.D.  
 Poët. Cor. Professoris Juris, Oratoriae,  
 et Poëseos.

34. Adr: Erasmus Pegaw – Aut: Laurentius Ludenius (In /.../ obitum /.../ pueruli Erasmi Pegaw, /.../  
 reverendi /.../ Erasmi Pegaw, ecclesiae Esthonicae, quae Christo Dorpati ad D. Johannis aedem  
 colligitur, pastoris /.../ filioli, die 9. Mart. anno 1646. nati, ejusdemque 29. Maji, pie in Christo denati,  
 et die 2. /.../ Junij ibidem /.../ illati, scriptum a condolentibus. Dorpati Livonorum, 1646: J. Vogel.)  
 UUB, [Tartu UB]  
 EPICIDIUM

ERASMUS PEGAVV:  
 Per Anag.  
 Sub Persona pie Defuncti.  
 SUPERA AUGEMUS.

Postquam prima dies vitalem tradidit auram  
 Et vidi exorti pulcerrima lumina Solis;  
 In me tota pij transfertur cura Parentis,  
 Ut SUPERum AVGERi possit praenobile Regnum.  
 5 Hinc natus, sancti Baptismatis amne renascor,  
 Accipioque Infans Vndamque Auramque salubrem:  
 Praeteritas maculas, primi delicta Parentis  
 Christus in amne lavat, me sacra beantque Lavacra.  
 Jam blande SVPERAm tener Infans AVGEo vitam.  
 10 Et risu incipio dilectos nosse Parentes;  
 Vt me, Christe, jubes mortali excedere seculo;  
 Meque vocas SVPERi delecta ad gaudia coeli.  
 Jam SVPERA AVGEMVS, supremum intramus Olympum:  
 Summa dies mortis, vitae Natalis et ille  
 15 Transitus e vivis, vitae est caelestis origo.  
 Aeternum mihi dilecti *Salvete* Parentes,  
 Nos SVPERA AVGEMVS, supremum intramus Olympum.

In pium solamen sc.  
 Laurentius Ludenius, Ph. et J. U. D.  
 Poët. Cor. Prof. P.

35. Adr: Erasmus Pegaw – Aut: Andreas A. Malmenius (cf. 34) UUB, [Tartu UB]  
 EPICIDIUM

Proposita a Domino lex est mortalibus una,  
 Perpetuo in cunctos quae sua jura tenet,  
 Nascaris, denascaris per tempora rerum,  
 Mutat ut alternas florida planta vices.

5 Parvulus hoc Infans nobis demonstrat ERASMUS,  
 Delicium Matris, Deliciumque Patris,  
 Ante aliquot Menses vitales natus in auras,  
 Nos sperabamus tempora longa fore.  
 Ut vero sensit fallacia gaudia Mundi,  
 10 In primo vitae limine clausit iter.  
 Pulcram animam Christus vocat ad se, qui dedit illam,  
 Illam intrat summi tecta beata poli.  
 Sistite dilecti lachrymas Materque Paterque,  
 Filiolus Christo consociatus ovat.

Lugens cecinit  
 Andreas A. Malmenius.

36. Adr: Erasmus Pegaw – Aut: Caspar Pegaw (cf. 34)

UUB, [Tartu UB]  
 EPICEDIUM

Siccine nos linqvis, mi dilectissime Frater,  
 Et nos extrema voce valere jubes?  
 Tertia vix pallens complevit cornua Luna,  
 Coepisti ut vitae limen inire tuae.  
 5 Nunc recubas Lethi telis transfossus acutis,  
 (Proh dolor) ut tetrus vermibus esca sies.  
 O dolor! O lachrymae! res o gravis! O grave vulnus!  
 Laetitia est omnis funere pulsa tuo.  
 Verum jam cum jus sit inevitabile fati,  
 10 Omnibus est somni mors subeunda soror:  
 Marmorea placide, Frater, requiesce sub urna,  
 Donec reddiderit Buccina sera sonos.

Haec inter lachrymas fratri suo  
 charissimo fudit  
 Casparus Pegaw.

37. Adr: Petrus Caroli Undenius – Aut: Johannes Erici Stregnensis (Disputatio theologica in caput decimum quartum a v. 1. usque ad finem, D. evangelistae Iohannis selectissimas notas exhibens, in Regia Academia Dorpatensi publicae censurae subijcietur, praeside Andrea Virginio, /.../ respondente /.../ Petro Caroli Undenio, /.../ die 29. Maji anni 1646. Dorpati Livonorum, 1646: J. Vogelius)

Växjö LB, BRAN, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Claritate, Doctrina, et moribus Praestantissimo  
 atque Ornatissimo Viro-Juveni,  
 Dn. M. PETRO UNDENIO,  
 Respondenti.*

His Evangelium occultum quondam fuit oris,  
 Dum simulachra Deum falsos reddentia vultus  
 Errorum sparsit multorum devius error.  
 Verum Evangelium; Christo duce, et Auspice Sancta  
 5 Regina; hinc pulcras vires acquirit eundo,  
 Quando Academiae felici Numine nostras  
 Jam Cathedras scandit summi Sapiencia Coeli,  
 Et Doctrina Dei Levonum bene dicit in oris,  
 Quanta sit aeterni in nos indulgentia Patris,

10 Quantus amor Christi, quamque aureus Halitus ille  
 Corda Renatorum percurrens Numine Sancto.  
*Eusebiae o Sanctae, et Sophiae Celebrande Magister,*  
 Felix qui Summae Triados praeconia dicis,  
 Nosque vocas rutilos immensi ad luminis ignes.

Ita gratulari voluit  
 M. Johannes Erici Stregn.  
 Astronom. et Phys. Prof. P.

38. ADR: Petrus Caroli Undenius – Aut: Sigvardus Walling (cf. 37) Växjö LB, BRAN, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

Mavortis miles maculata sangvine arena,  
 Qui cupide certat praemia grata capit.  
 Musarum miles Clariis luctatur in arvis,  
 Dum cupide certat munera larga capit.  
 5 Et Sophiae decus, UNDENI tu Clare Magister,  
 Ingenuae certans praemia Sacra feres.  
 Perge, stude, bene disce, doce; sic tempora cinget  
 Immarcessibili fronde (quod opto) Deus.

Non tam moris, quam amoris ergo app.  
 Sigvardus **Walling**.

39. ADR: Petrus Caroli Undenius – Aut: Tholetus Tholeti Arvicander (cf. 37)  
 Växjö LB, BRAN, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Diversos diversa juvant, quod spreverit alter,*  
*Alter amat: tristis sunt rata verba sonis.*  
 Ensiferi quidas Mavortis castra sequuntur,  
 Hostilique ferunt vulnera facta manu.  
 5 Caerulei quidam Neptuni regna pererrant,  
 Ut teneant multas divitis orbis opes.  
 Squamigeros quidam pisces venarier hamo  
 Gaudent, quos udos soepius unda ferit.  
 Invalidas quidam tentant captare volucres,  
 10 Insidiasque feris nocte dieque struunt.  
 Vana sed haec vulgi delectamenta feruntur,  
 Nec sunt ingenuo pectore digna pati.  
*De meliore luto pia cui praecordia Titan*  
*Finxit, in Aoniis impiger ardet agris.*  
 15 Hinc etiam, UNDENI, Clariarum Fama Sororum,  
 Musarum cupida munera mente legis.  
 Tu non astutis contorta sophismata nodis  
 Sectaris; *Iovae tu sacra verba colis:*  
 Quae nos *omniscij* docuit *Sapientia Christi,*  
 20 *Filius ille hominis, Filius ille Dei.*  
 Desuda sacris haurire e frontibus undas,  
 Et bene caelesti sede beatus eris.

Ita Sympatriotae et Amico suo singulari  
 gratulari voluit  
 Tholetus Th. Arvikander,  
 Wermelandus.

## 1647

1. Adr: Tholetus Tholeti Arvikander – Aut: Laurentius Ludenius (Disputatio physico-astronomica de stellis; quam /.../ in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ sub praesidio /.../ Johannis Erici Stregnensis, /.../ pro insignibus et privilegiis magisterij philosoph. consequendis, /.../ submittebat disputationis exercitio Tholetus Tholeti Arvikander, /.../ ad diem <15.> Septemb. 1647 /.../ Dorpati Livonorum, 1647: J. Vogelius) Karlstad StB, H, BRAN, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Praestantiss. et Humaniss.*  
Dn. Respondenti.  
THOLETUS THOLETI ARVIKANDER  
*Per Anag.*  
TELO UT TRAHIT! VEHOR KALENDIS.

TELO UT cura TRAHIT! totis VEHOR Arte KALENDIS:  
Me TRAHE, *Christe*; pia sic pius Arte VEHOR.

In felix omen app.  
Laurentius Ludenius, Ph. et J.U.D.  
Profess. Ord.

2. Adr: Tholetus Tholeti Arvikander – Aut: Petrus Caroli Udenius (cf. 1)

Karlstad StB, H, BRAN, [Tartu UB]

GRATULATIO

*TOLETE, o Sacra Decus immortale Camoenae,  
Et Dorpatensis gloria pulcra Chori!  
Non ego Cyrrhao mea labra liquore rigavi,  
Queis tibi nunc laudis munera grata feram;*  
5 *Qui Mysteria Naturae rimaris acute  
Et passu Sophiae curris eunte viam.  
Laetor: Successusque tuis conatibus opto  
A Domino semper, qui regit Astra, Deo.  
Hinc ter tres doctae Comites, tua tempora adornant*  
10 *Aemonia lauru. Hinc Nomen, Honorque venit.*

Praestantiss. atque Literatiss. Viro juveni Dn. THOLETO ARVIKANDRO, Phil. Candidato merittiss. pro Laurea Magisteriali erudite disputanti, paucis hisce fraterno ex  
Animo gratulatur  
M. Petrus Caroli Udenius,  
W-Gothus, SS. Theol. Stud.

3. Adr: Tholetus Tholeti Arvikander – Aut: Gustavus Olai (cf. 1) Karlstad StB, H, BRAN, [Tartu UB]

GRATULATIO

Diversis diversa placent mortalibus acta;  
Non omnes uno ducimur ingenio.  
Sunt queis telluris volupe est diffindere sulcos  
Ferro, atque indomitis jungere bobus onus.  
5 Sunt queis in sylvis animus, stagnisque profundis,  
Pennigerum ut capiant, squamigerumque genus.  
Ast tibi non animo sunt haec; sed, *docte* THOLETE,  
Hercule supposito, sidera clara canis.  
Tempora cum causis Latium digesta per orbem,  
10 Lapsaque sub terras orta que Signa refers.

Nec frustra stellarum obitus specularis et ortus;  
 Namque tibi, et Patriae commoda multa paras.  
 Hinc tempestates dubio praedicere coelo,  
 Hinc tempus Messis conveniensque potes.  
 15 Conatum collaudo tuum, *peramande* THOLETE,  
 Dum genij ostendis candidioris opes.  
 Gratulor inde tibi; Sophiae usque capesse coronam:  
 Inclyta Doctrinae fama perennis erit.

Gratulabundus apposuit  
 GUSTAVUS OLAI,  
 Phil. Cand.

4. Adr: Tholetus Tholeti Arvikander – Aut: Laurentius Ludenius (Sacris magisterii honoribus: quos, /.../ facultatis philosophicae decanus, /.../ Johannes Erici Stregnensis, super. mathem. et physic. profess. ordin. in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ die 8. Novembris, anno 1647, publice /.../ conferebat /.../ Tholetus Tholeti Arvikandro, Wermelandia Sveco; quaevis fausta precantur Musae Embecciaedes. Dorpati Livonorum, 1647: J. Vogel) Karlstad StB, [Tartu UB]

GRATULATIO

M. THOLETUS THOLETI ARVIKANDER:

*Per Anag.*

TUTO KALENDIS VEHOR: MEL TRAHIT.

Amara radix Artium,  
 Sed MELle fructus dulcior.  
 CHRISTO Auspice, et CHRISTO Duce;  
 TUTO KALENDIS omnibus  
 5 VEHOR: TRAHIT MEL fructuum.  
 Sic vero primi frueris jam Veris odore,  
 Hyblaeosque favos latebris, THOLETE, receptas.  
 In sanctas Doctrinae Artes jam mollibus annis  
 Inductus: pulcer refluxum labor actus in orbem.  
 10 Edocuit Pallas doctum torquere rotato  
 Sermone Enthymema, datis et solvere nodis.  
 Edocuit Pallas, totas sine fine fluentis  
 Materiae causas; qua surgat et Arte Beatum.  
 Condidit Historiae Sacrae se cuncta vetustas  
 15 Mentibus ingenuis, summi et Sapientia coeli.  
 Quod felix faustumque velit DEUS esse Deorum,  
 Fronde premit merita hinc crinem Divinus Apollo.  
 I bene, quo tua te Virtus, quo sancta TRAHuntque  
 Numina: Dante DEO, dici consvesce MAGISTER.  
 20 MELleus et fructus, majoribus ire per altum  
 Auspiciis velit; et TUTO TRAHat usque KALENDIS.  
 Amara radix Artium,  
 Sed MELle fructus dulcior.  
 CHRISTO Auspice, et CHRISTO Duce;  
 25 TUTO KALENDIS omnibus  
 VEHOR: TRAHIT MEL fructuum.

Quod in felix auspiciis app.  
 Laurentius Ludenius, Ph. et J.U.D.  
 Poët. Cor. Prof. Ord.

5. Adr: Tholetus Tholeti Arvikander – Aut: Petrus Carolus Undenius (cf. 4) Karlstad StB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Delicium Eusebiae et Sophiae, THOLETE, perenne,  
Commeritum carpis, dignus honore, decus.  
Dum tibi contextit Phoebaea caterva corollam,  
Qua caput ornabit comptus Apollo tuum.  
5 Hanc, precor, ut gestes grandaevi Nestoris annos,  
O Clarum Sophiae, dulcis Amice, Decus.  
Perge bonis avibus, tibi nil Natura negavit,  
Ingenio clares, Laude et honore vales.  
Hinc Patriam in terram fructu meliore redibis,  
10 Quae tibi pro meritis praemia pulcra dabit.  
Non tam moris, quam amoris et gratulationis  
ergo fudit  
M. Petrus Carolus Undenius,  
W-Gothus, SS. Theol. Stud.

6. Adr: Tholetus Tholeti Arvikander – Aut: Andreas Bergh (cf. 4) Karlstad StB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Quid sinuosi usquam spatiosa haec machina mundi  
Ingenua quaeso dulcius arte tulit?  
Nam tristi confert medicamina mellea menti,  
Et magnas dat opes, pauperiemque fugat.  
5 Reddit nos claros, facit et super aethera notos,  
Nec sinit hoc unquam nomen in orbe mori.  
Haec perpendisti crebro, dilecte THOLETE,  
Ergo tuum nescit Nomen in orbe mori.*  
Ita Amico infucato infucate cecinit  
Andreas **Bergh**.

7. Adr: Tholetus Tholeti Arvikander – Aut: Andreas A. Malmenius (cf. 4) Karlstad StB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Gressus ad excelsam Virtutem Marte vel Arte  
Panditur; ut docet hoc longa Experientia rerum.  
Diversos diversa juvant, id cernimus omnes;  
Vivitur ex voto, Mundi dum secula currunt.  
5 Sic gaudent quidam, Mavortis ab agmine duci.  
Ac ipsis ingens virtus exinde paratur.  
Sic malunt quidam, sua nomina credere Musis,  
Et capiunt pulcro benefacta reposta<sup>10</sup> labore.  
Strenuus en Charites coluisti, Docte THOLETE,  
10 Legisti juvenis nitidissima germina Phoebi,  
Hinc scandis doctus Musarum culmina celsa;  
Mitra datur, felix tua tempora purpura cingit.  
Gratulor inde tibi, quod tales cernes honores;  
Cedant in laudem Christi, propriamque salutem.  
Gratulabundus vovebat  
Andreas Malmenius,  
Suderm.

<sup>10</sup> *reposta* pro *reposita* edd metri causa

8. Adr: Tholetus Tholeti Arvikander – Aut: Christianus Jheringius (cf. 4) Karlstad StB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Candens ceu torris nocturno tempore gliscit;  
Sic inter Doctos, Docte THOLETE, micas.  
Jugiter ut rutilis, rutilent ut splendida sertas,  
Quae tibi nunc dantur, supplice corde precor.*

In felix omen vovebat  
Christianus Jheringius.

9. Adr: Tholetus Tholeti Arvikander – Aut: Benedictus O. Vegrelius (cf. 4) Karlstad StB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Quid Strepitus? Quid clangor agit? Quid plurima turba  
Tractat, et egregio distendit gaudia plausu?  
Scilicet ingenuam Laurum dispensat Apollo:  
Ceu Pietas, ceu prisca jubent hoc foedera Musae,  
5 Dum florent, qui Virtutum sectantur honores.  
Et tu consvesces dici, THOLETE, Magister;  
Ut studium, Sanctoque incoctum pectus honesto,  
Illud vult; Chorus Aonidum vult; Pieridesque  
Applaudunt, capitique tuo dant sertas sacratas.  
10 Sit faustum; Deus Omnipotens tua coepta secundet.  
Dexter abi, sine fine vige, sine fine viresce.

Plaudenti animo ita grat.  
Benedictus O. Vegrelius,  
Suderman.

10. Adr: Tholetus Tholeti Arvikander – Aut: Ericus Laurentij Hammerinus (cf. 4) Karlstad StB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Te placide natum; testatur Dorptica Musa,  
ARVIKANDER; erit gloria vera tibi.  
Te doctum atque pium jam Dorptica Musa coronat,  
Vt teque exornet, postulat aequa Fides.  
5 Sit Pietas Clypeus; sit murus aheneus, ardor  
Sancte vivendi; sis sine fine bonus.*

Amico suo certissimo haecce congratulans app.  
Ericus Laurentij Hammerinus,  
Wermelandus.

11. Adr: Tholetus Tholeti Arvikander – Aut: Johannes Petri Gutheim (cf. 4) Karlstad StB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Sunt, quos castra juvant, creber fremitusque tubarum,  
Ignitique globi, qui quasi turbo ruunt.  
Sed tua te Virtus, Musarum docte Satelles,  
Docte THOLETE, juvat, condecoratque pie.  
5 Vertice dulce nitet Sertum, rutilansque Corolla  
Tradita pro meritis; pro pietate tua.  
Gratulor inde tibi; precor ut valeas vireasque  
Nestoris in longos transitione dies.

Gratulabundus adjecit  
Johannes Petri Gutheim,

Livonia Svecus.

12. Adr: Tholetus Tholeti Arvikander – Aut: Johannes C. Magnelius (cf. 4) Karlstad StB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Congeriem quaerens amplam bene divitiarum,  
Ille satis prodest cum sibi, tum patriae:  
Sed Studiis operam dans summa sedulitate,  
Hic praestat felix utilitatis opus.*  
5 *Sic ARVIKANDRI Studium cum mente voluto;  
Quaesivit genij dexteris opes.  
Idcirco Lauru hic ornatur Synciput, atque  
Fronde premit viridi dexter Apollo comas.*

Dn Praeceptoris atque Sympatriotae suo  
ita gratulari voluit  
Johannes C. Magnelius,  
Werml. Svecus.

13. Adr: Tholetus Tholeti Arvikander – Aut: Ernestus Gerlachius (cf. 4) Karlstad StB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Si possem carmen grata conscribere vena,  
Sic tibi, Praeceptor, faustissima cuncta voverem.  
Ast! Vires desunt: veniat laudanda voluntas.  
Sis felix; Deus ipse beet conamina tota.*

Sic Dn. Praeceptoris suo lubens  
gratulabatur  
Ernestus Gerlachius,  
Dorpatensis.

14. Adr: Olaus Nicolai Bergius – Aut: Laurentius Ludenius (Disputatio theologica de providentia Dei, quam /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae est Dorpati /.../ sub praesidio /.../ Andrea Virginii, /.../ ventilationi submittit Olaus Nicolai Bergh, /.../ die <14. Maij> Aprilis anni 1647. Dorpati Livonorum, 1647: J. Vogelius)

SKB, Växjö LB, BRAN, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Doctiss. et Humaniss. Dn. Respondenti.*  
OLAUS NICOLAI BERGIUS:  
*Per Anag.*  
LAUS ORBIS, INCOLA, VIGE.

Quod curet DEUS Omnipotens mortalia, dicis:  
LAUS ORBIS, felix INCOLA mente, VIGE.

In felix omen ap.  
Laurentius Ludenius, Ph. et J.U.D.  
Poët. Cor. Prof. Pub.

15. Adr: Olaus Nicolai Bergius – Aut: Andreas Flojerus (cf. 14) SKB, Växjö LB, BRAN, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Eusebiae et Sophiae proles pulcherrima, BERGI;  
Nostri pars semper pulchra Sodalitij.  
Biblia rimaris sanctissima pectore laeto,  
Et pia pro Christi nomine bella geris.  
5 Sis felix; laeta aspiret fortuna labori,  
Efferat et pulchrum nomen ad astra tuum.

Ita Sympatriotae et Amico suo infucato  
gratulari voluit

Andreas Flojerus,  
Smo. Svec.

16. Adr: Olaus Nicolai Bergius – Aut: Abrahamus Georgij Thauvonius (Disputatio philosophica de elemento aeris specialiter considerato; quam, /.../ in Regia Academia Dorpatensi /.../ sub praesidio /.../ Johannis Erici Stregnensis, /.../ disquisitioni examinandam proponit et exhibet Olaus Nicolai Bergius, /.../ ad diem <> Decemb. anno 1647. Dorpati Livonorum, 1647: J. Vogelius)

SKB, H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Praestantissimo et Doctissimo Dn. Olao Bergio.*

Confers Camoenis materiem utilem,  
Musis propinquis tu stimulum admoves,  
          OLAE Solers, dum recente  
                          Condecoras tua coepta coepto.  
5 Quid sit *Calor*, quid *Terra*, *Aqua*, quid siet  
Aërque, dicis; dicere jam cui  
          En Svada certatimque Pallas  
                          Imbuit, haec animum, illa lingvam.  
Sic rite montes Aonios colis  
10 Dulcesque Musas, quarum ope, perpete,  
          Fama superstes vivis. Almae  
                          In Patriae decus usque vivas.

Amico suo Infucato, Lmque scripsit  
M. Abrahamus Georgij Thauvonius.

17. Adr: Christina – Aut: Laurentius Ludenius (Immortalitas D. liberatoris Germaniae, /.../ Gustavi Adolphi, /.../ Svecorum, /.../ regis; /.../ parentatione anniversaria, in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ die 6. Novembris anno 1647. /.../ aeternitati consecrata a Laurentio Ludenio, /.../. Dorpati, 1647: J. Vogel)<sup>11</sup>

SKB, UUB, Växjö LB, [Tartu UB]  
DEDICATIO

*Serenissimae et Potentissimae Principi  
ac Dominae,  
DN. CHRISTINAE,  
Dei Gratia, Svecorum, Gothorum, Vandalorumque  
Reginae, ac Principi Haereditariae; Magnae Principi  
Finlandiae; Duci Esthoniae et Careliae; Dominae Ingriae, etc.  
Victrici, Piae, Felici, Augustae, etc.  
Vitam, Incolumitatem et Felicitatem p.p.*

*PATRIS, et aequaevae SOBOLIS, FLATUSque SACRATI  
Annuat aeterna PACE perennis AMOR!  
Est DEA dicta CHARIS, Natura mitis et Annis,  
PACIS amans, Orbis deliciosa CHARIS.*

CHRISTINA,  
REGINA SVECIAE:  
*Per Anagram.*  
CHARIS  
IN REGNA IT SVECIAE.

<sup>11</sup> Idem 1636.14; 1643.21; 1644.4; 1645.13; 1646.4; 1648.13; 1649.16; cum variatione 1648.12; cf. 1641.11; 1642.19-20.

- 5 *Sancta CHARIS, CHRISTINA CHARIS; Regina Serena*  
 IN REGNA IT SVEONUM deveneranda CHARIS.  
*Est Pater Illustris Phoenix in Prole renatus:*  
*AdVeniat, Videat, Vincat amica CHARIS!*

SS. Reg. Maj. Symbolum:  
 CHRISTUS REFUGIUM SUORUM.

- 10 *Nam RE conFUGIUM REGINAE CHRISTUS; ab alto*  
*Irradians, complens Regia corda, VIGOR.*  
*CHRISTUS, Numen, Honos, nitidissima Vita SUORUM:*  
*Arctoi Regni Lux, Sator, alma Salus!*  
*Salve; Sancta CHARIS! Salve, REGINA! IEHOVA*  
*Auspice, sis Regni deliciosa CHARIS.*

Dominae et Reginae suae Clementissimae,  
 Humilime.

18. Adr: Guilhelmus Cronmannus – Aut: Laurentius Ludenius (SS. Regiae Majestatis regnorumque Sveciae ac Gothiae senatorum, /.../ Oxenstiernorum, /.../ regni comitum, et L.L. baronum, virtus; oratione solenni in Regia Universitate Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ die 27. Januarij, anno 1647. /.../ expressa a Guilhelmo Cronmanno, /.../. Dorpati Livonorum, 1647: J. Vogelius)  
 SKB, UUB, Växjö LB, LAB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Nobiliss. et Praestantiss. Dn. Peroranti.*  
 GVVILIELMUS CRONEMANNUS:  
*Per Anag.*  
*ad Insignia relatum.*  
 NUNC VIGILEMUS: URNA MELOS!

Ceu *Grus*, NUNC VIGILEMUS: Erit MELOS URNA Beato:  
 Parta *Corona* solo, certa *Corona* polo.

In felix Auspicium app.  
 Laurentius Ludenius, Ph. et J.U.D.  
 Poët. Cor. Prof. Ord.

19. Adr: Guilhelmus Cronmannus – Aut: Johannes Casparus Merclinus (cf. 18)  
 SKB, UUB, Växjö LB, LAB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

GVILIELMUS CRONEMANUS:  
*Per Anagr.*  
*ad Insignia relatum:*  
 ES COR, LUMEN, MANUS, VIGIL.

*Pierides partem concedunt fratribus unam,*  
*Tu, GVILIELME, habeas cuncta brabeia, precor:*  
*ES COR, ES LUMEN, (velut hoc Insignia signant,)*  
*Officiosa MANVS: Grus Pietate VIGIL.*

In felix omen sc.  
 Johannes Casparus Merclinus,  
 Poët. Cor.

20. Adr: Johannes Cronmannus – Aut: Laurentius Ludenius (Serenissimae et potentissimae principis /.../ Christinae, Svecorum, Gothorum, Vandalorumque reginae, /.../ elogia; oratione solenni in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ die <5. Februarij> anno 1647. /.../ enarrata a Johanne Cronmanno, /.../. Dorpati Livonorum, 1647: J. Vogelius)

SKB, UUB, Vilnius LAB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Nobilissimo et Praestantissimo Dn. Peroranti.*

JOANNES CRONEMANNUS:

*Per Anag.*

I SANE: NUMEN CORONANS!

I SANE, quo te mentis vocat enthea Virtus:  
NUMEN CORONANS unice.

In felix omen app.  
Laurentius Ludenius, Ph. et J.U.D.  
Poët. Cor. Prof. Ord.

21. Adr: Andreas E. Fridzbergius – Aut: Petrus Caroli Undenius (Disputatio philosophica de accidente in genere; quam /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati /.../ est /.../ sub praesidio /.../ Johannis Erici Stregnensis /.../ discutiendam exhibet Andreas E. Fridzbergius /.../ ad diem <> Decemb. anno 1647. Dorpati Livonorum, 1647: J. Vogel) SKB, BRAN, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Liberaliter Erudito, et Laudabiliter morato*

DN. ANDREAE ERICI FRIDZBERGIO, Amico  
et Conterraneo svavissimo, Materiam de Accidentibus in  
genere publicae Disputationi subjicienti.

Sic, ANDREA, altis digne vis rebus adesse,  
Dum condis doctas dexteritate Theses:  
Et solvis laqueos calida arte sophismatis uncos,  
Ingenij mira judicii que fide.

5 Perge, velut pergis; Te non lactabit inanis  
Spes tua. Mox Phoebus praemia digna dabit.

In perpetuae recordationis ac infucatae Amicitiae  
τεκμήριον haec pauca app.  
M. PETRUS CAROLI UNDENIUS,  
W-Gothus, SS. Theol. Stud.

22. Adr: Andreas E. Fridzbergius – Aut: Laurentius E. Emzelius (cf. 21) SKB, BRAN, [Tartu UB]  
GRATULATIO

ANDREAS ERICI FRISBERGIUS:

*Ἀναγράμ.*

DIGNA REFERS, SIC JUBAR ERIS.

Clarius ut Solis JUBAR inter celsa coruscat  
Sydera, splendenti luciditate sua:  
SIC Juvenes docti, Sophiae qui laude feruntur,  
Et solida Musas sedulitate colunt;  
5 Altius assurgunt, inter lucentque Camoenas,  
Et juga Parnassi dexteriora tenent.  
Quod dum mente pia, Musarum docte Satelles  
FRISBERGI, tractas, ut JUBAR arte micas.  
Namque doces solide rebus quod jungitur ipsis;

- 10 Quodque his servatis, deperit, arte doces.  
Sunt grata Ingenio, Genio quae DIGNA REFERS; Nam  
DIGNA REFERS, Studiis non aliena tuis.  
Hinc inter Sobolem splendes candore Minervae  
Ipse, velut rutilans fulget in axe JUBAR.
- 15 Perge, REFER Genio conamina DIGNA benigno;  
SIC te DIGNA sonans praemia Musa feret;  
Atque caput Lauru, Divinus cinget Apollo:  
Clarior ac nitidum SIC JUBAR es, bene ERIS.

Quod ex sincero fraternitatis affectu precatur  
M. LAURENTIUS E. EMZELIUS, W-Gothus.

23. Adr: Gustavus Olai Gulsteen – Aut: Laurentius Ludenius (Sacris magisterii honoribus: quos, /.../ facultatis philosophiae decanus /.../ Johannes Erii Stregnensis, /.../ super. mathem. et physic. profess. ordin. in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ die 8. Novembris, anno 1647, publice /.../ conferebat /.../ Gustavo Olai, Wermlandia Sveco: quaevis fausta precantur Musae Embecciaedes. Dorpati Livonorum, 1647: J. Vogelius)Karlstad StB, SKB, [Tartu UB]

GRATULATIO

M. GUSTAVUS OLAI:

*Per Anag.*

AGITAS; VOLUMUS.

- Sancto, CHRISTE, AGITAS conamina Numine nostra;  
Et VOLUMUS, Duce Te, docta efflorescere Mente.  
Ut natus, Duce Te, sacro fonte Renatus;  
Tu me AGITASque, AGITO mortali corpore vitam
- 5 Aetheream. Coeli Pietas cava nubila tranans.  
Ut VOLUMUS, sese ad doctas fert impetus Artes;  
Eusebia informat; proponit candida Pallas,  
Quicquid cultarum dimanat ab ordine rerum,  
Et quae norma Boni, sancti qui limes Honesti.
- 10 Ut tu, CHRISTE, AGITAS gravium molimina rerum,  
Fronde nova crinem dexter componit Apollo.  
Ut VOLUMUS; faustum DOMINUS velit esse JEHOVA,  
Tuque animis o macte piis, GUSTAVE; perennis  
I bene, quo tua te Virtus et Numina sancto
- 15 Fine vocant. Dici placide consvesce MAGISTER.  
Sic AGITAS, ut nos VOLUMUS, feliciter aevum.

Quod in felix ausp. app.  
Laurentius Ludenius, Ph. et J.U.D.  
Poët. Cor. et Prof. Ord.

24. Adr: Gustavus Olai Gulsteen– Aut: Johannes Erii Stregnensis (cf. 23)

Karlstad StB, SKB, [Tartu UB]

GRATULATIO

- Musarum Soboles, Charorum dulce Parentum  
Delicium, Sophiae Candidioris Honor:  
Aspirent placidis Coelestia Numina Coeptis,  
Ipse tuas cingo fronde virente comas.*
- 5 *Sic pridem meruit Virtus; sic dexter Apollo  
Jussit; sic Genij jussit euntis amor.  
I bene: majori deposcunt ire per altum*

*Hinc pede Te Pietas et manifesta Fides.*

Honoris ergo haec scripsit  
M. Johannes Eri Stregnensis,  
Mathemat. Super. et Phys. Prof. Pub.  
ac Facult. Phil. p. t. DECANUS.

25. Adr: Gustavus Olai Gulsteen – Aut: Michael Bostadius (cf. 23) Karlstad StB, SKB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Ardua quid prosint sacri certamina Phoebi,  
Quidque juvet studiis invigilasse piis;  
Scit, qui Palladias vario conamine Musas  
Quaerit, et Aonij pocula sacra Jugi:*  
5 *Scit, qui naturae discit penetrare recessus,  
Scrutarique animo lucida tecta poli.  
Scilicet, hinc illi sperato tempore Laurus  
Laeta venit: Superi munera pulcra dabunt.*  
*GVSTAVE A **Gulsteen**/ Decus immortale sophorum,*  
10 *Musarum intenso jura labore sequens;  
Musarum in Castris sudasti fortiter: aequa  
Et lingua et calamo vindice bella geris.  
Hinc tibi Laurigerae donabunt oscula Musae;  
Fulgebuntque tuae frondis honore comae.*  
15 *Nominis inde Decus transmittes semper in annos,  
Virtutemque polus discet uterque tuam.  
Jungo pie votis aliorum, Vota; precorque  
Immortale feras nomen in orbe: Vale.*

Syncerioris affect. Ergo deproperabat  
M. Michaël Bostadius,  
ad Aedem D. Mar. Past.

26. Adr: Gustavus Olai Gulsteen – Aut: Petrus Caroli Udenius (cf. 23) Karlstad StB, SKB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Magni Mercurij Soboles, GUSTAVE; beato  
Svavis Amicitiae foedere juncte mihi:  
Qui bene certavit miles, sua jure reportat  
Praemia; laetatur conditione rata.*  
5 *Sic tibi dum, **GULDSTEEN**/ Musarum commoda curae,  
Artes Eusebiae tu sine fine colis.  
Hinc tibi pulcra canunt sacrae praeconia Musae,  
Atque tuum lauru cingit Apollo caput:  
Calliope justo conglutinat ordine frondes,*  
10 *Artifici sertum conficit atque manu.  
Insequitur clari titulus nomenque Magistri:  
Sic Tibi, sic Patriae commoda magna feres.*

Quod animitus sympatriotae suo svaviss. de novis  
Honoribus gratulari voluit  
M. Petrus Caroli Udenius,  
W-Gothus, SS. Theol. Stud.

27. Adr: Gustavus Olai Gulsteen – Aut: Andreas Bergh (cf. 23) Karlstad StB, SKB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

GVSTAVUS OLAI.  
*Per Anagr.*  
 GAVISVS; VOLAT.

*En GAVISVS erat doctus Gustavus Olai,  
 Dorptas cum primum cerneret ipse Deas.  
 Est bene GAVISVS se perVOLitasse Sophorum  
 Artes; hinc clarum nomen ad astra VOLAT.  
 5 Ceu GAVISVS erat; sic GAVde, Frater amande  
 Gustave, et laeta munera mente cape.  
 Quae tibi Stregnensis nulli gravitate Secundus  
 Exhibet, hinc Clarum nomen ad astra VOLAT.*

Ita Commensali suo jucundissimo  
 gratulabatur  
 ANDREAS BERGH / Westman.

28. Adr: Gustavus Olai Gulsteen – Aut: Andreas A. Malmenius (cf. 23)

Karlstad StB, SKB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

Mira canentem,  
 Audio Gentem!  
 Tyrsiger, Evan,  
 Collige baccas;  
 5 Corniger et Pan,  
 Inspice vaccas;  
 Mulciber ardens,  
 Cude metalla;  
 Belliger audens,  
 10 Incipe bella.  
 Cedite longe.  
 Blanda Camoena,  
 Voce serena;  
 Candida Flora  
 15 Voce sonora;  
 Turba novena,  
 Carmina vena  
 Pange sonante.  
 Mira canentem,  
 20 Audio gentem!  
 Tingite largo,  
 More jubente!  
 Tingite nardo,  
 More docente!  
 25 Cingite flore,  
 More volente;  
 Spargite rore,  
 More petente,  
 Tempora Clari  
 30 Docta Magistri.  
 Dicite rite,

Voce sonora;  
 Atque perite,  
 Voce Canora:  
 35 Des DEUS, ardens  
 Semper amore;  
 Des DEUS, ardens  
 Semper honore;  
 Secula mille  
 40 Vivat ut ille.

S. S. S.  
 ANDREAS MALMENIVS,  
 Suderm.

29. Adr: Gustavus Olai Gulsteen– Aut: Ericus Kolmodinus (cf. 23) Karlstad StB, SKB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Gaudet aratro  
 Corpore firmus  
 Rusticus aequo.  
 Gaudet Avarus  
 5 Sorte Talenti.  
 Gaudet Amica  
 Pallida Labris.  
 Sed sine fine  
 Rite Novem te  
 10 Fronde Sororum  
 Fas erit omni  
 Parte beari.*

Amoris ergo adjecit  
 Ericus Kolmodinus,  
 Suderm.

30. Adr: Gustavus Olai Gulsteen – Aut: Benedictus O. Vegrelius (cf. 23) Karlstad StB, SKB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Si qua facis, sine fraude facis, GVSTAVE; timendum  
 Non adhibes lucrum: Dexter es ingenio.  
 Voce tua posses, GVSTAVE, arcana movere;  
 <V>ox tua svave sonat; dexter es eloquio.  
 5 <Degust>as, GVSTAVE, animis discrimina rerum:  
 <D>egustas, Christo dante, brabea pia.  
 <Degust>es, meruit, quae candida praemia Virtus;  
 <D>egustes succum rite Magisterij.*

C. C. C.  
 Benedictus O. Vegrelius,  
 Suderman.

31. Adr: Gustavus Olai Gulsteen – Aut: Johannes Petri Gutheim (cf. 23) Karlstad StB, SKB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

Qvi dubij gaudent Martis certamina pleno  
 Ausu justa sequi, praemia jure ferunt;  
 Sic, quia GUSTAVUS certamina multa subivit

Musarum in castris Castalidumque Choro:  
 5 Tempora Pierides decorant viridante Corolla,  
 Thespiades meritis dant nova Serta comis.  
 Hinc rata fama viget virtutibus aucta beatis.  
 In Patriae laudem digna brabeia ferat.

Gratulabundus adjecit  
 Johannes Petri **Gutheim**.

32. ADR: Gustavus Olai Gulsteen – Aut: Johannes Magnelius (cf. 23) Karlstad StB, SKB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Tempus adest, celebri quo Docti ornantur honore,  
 Et veniunt Musis Serta beata tuis.  
 Non est exiguum meritum, quo fama superstes  
 Jam, GVSTAVE, tibi post tua fata manet.*

Ita vovebat animus et calamus  
 Johannis Magnelij,  
 Wermelandia Svec.

33. ADR: Gustavus Olai Gulsteen – Aut: Ambernus Haquini Printz (cf. 23)  
 Karlstad StB, SKB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

GUSTAVUS OLAI GULSTEEN:  
*Per Anag.*  
 LUGE, GUSTA ALOEN? JUSTUS.

O Embecciaades concedite candida Musae  
 Munera, votivum carmen ab ore fluat.  
 Sint, GUSTAVE, tibi fausti, quos cernis, honores;  
 Tangit nunc portum Cymbula amica tuum.  
 5 LUGE, et GVSTA ALOEN! JVSTVS sis servulus almi  
 Jovae; sis felix; vive; vigesce; Vale.

Quod animitus ap.  
 AMBERNVS HAQVINI **Printz**.

34. ADR: Gustavus Olai Gulsteen – Aut: Bernhardus Lohman (cf. 23) Karlstad StB, SKB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

Dante Deo, fluxit largo cum foenore tempus,  
 Quo tenerae gressus fecisti mentis in Arte  
 Eximios; animi culti quo signa dedisti.  
 Hinc tibi honor, GVSTAVE, venit; pulcerrima virtus  
 5 Hinc tibi fert Laurum, cingit caput undique Laurus.  
 Ipse ego, te sanctae Sophiae compello MAGISTRUM,  
 Praeceptor mi; Sic meruisti jure vocari.  
 Sic pia Musa Solet meritos ornare labores:  
 Vive, Vigeque diu, per secula sera vireque,  
 10 Et faveat coeptis ex alto CHRISTUS JĒSUS.

Ita fidelissimo suo Dn. Praeceptor ex animo  
 gratulari voluit  
 BERNHARDUS **Lohman**.

35. ADR: Gustavus Olai Gulsteen – Aut: Svenio Lohman (cf. 23) Karlstad StB, SKB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

Carmina si possem tenui jam fundere vena,

Grataque sic Musis dicere verba piis;  
 Hoc certe facerem tibi nunc, Praeceptor amande,  
 Qui facilem monstras scandere ad alta viam.  
 5 Sed cum non dederit me sors invisa Poëtam;  
 Vt Valeas longo tempore, Vota sient.

Ita charissimo Dn. Praeceptori ex animo vovet  
 SVENO LOHMAN.

36. Adr: Gustavus Olai Gulsteen – Aut: Ericus Olai (cf. 23) Karlstad StB, SKB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

Est quod nunc plaudam, totoque e pectore laeter,  
 Frater, dum Laurus te super alta vehit.  
 Gratulor inde tibi, gratorque Parentibus ipsis  
 Qui pia vota tibi nocte dieque vovent.  
 5 Perge pari passu, Doctosque imitare studendo;  
 Inter honoratos sic tibi Nomen erit.

Ita Fratri Germano charissimo, et fidelissimo Dn. Praeceptori  
 de novis honoribus fraterno ex animo gratulatur  
 ERICVS OLAI, Vermelandus.

37. Adr: Gustav Adolph – Aut: Laurentius Ludenius (Immortalitas D. liberatoris Germaniae, /.../  
 Gustavi Adolphi, /.../ Svecorum, /.../ regis; /.../ parentatione anniversaria, in Regia Academia  
 Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ die 6. Novembris anno 1647. /.../ aeternitati  
 consecrata a Laurentio Ludenio, /.../. Dorpati, 1647: J. Vogel)<sup>12</sup> SKB, UUB, Växjö LB, [Tartu UB]  
 DEDICATIO

REX

GUSTAVUS  
 ADOLPHUS.

*Per Anagramma;*

REX

AUGUSTUS  
 HAS DVPLO.

*SS. Reg. Maj. <sup>tis</sup> Symbolum:*

CUM DEO ET VICTRICIBUS ARMIS.

*Gratia, Christe, tua est; Patriae Civemque Patremque  
 Quod gero, res Sancti curo quod Imperij.*

*Gratia, Christe, tua est; quod Res Victricibus Armis  
 HAS REX AVGVSTVS conduplicando DVPLO.*

5 *Christo Dante, mea Phoenix in Prole renatus  
 Vivo: Deo Vivat Regia Progenies!*

38. Adr: Ericus A. Holstenius – Aut: Johannes Erici Stregnensis (Disputatio theologica in caput  
 vigesimum primum a v. 1 usque ad v. 15. D. evangelistae Johannis selectissimas notas exhibens, in  
 Regia Academia Dorpatensi publicae censurae subjicietur, praeside Andrea Virginio, /.../ respondente  
 Erico A. Holstenio, /.../ die 9. Aprilis anni 1647. Dorpati Livonorum, 1647: J. Vogelius)

UUB, Växjö LB, BRAN, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Musarum atque Virtutum Strenuo Sectatori, Doctissimo  
 et Humanissimo Juveni,  
 Dn. ERICO ANDREAE HOLSTENIO, SS. Theolog.*

<sup>12</sup> Idem 1636.25; 1643.46-47; 1644.15; 1645.47; 1646.19; 1648.25; 1649.22.

et Philosoph. Studioso indefesso.

*Tertia splendebat stellis aurora fugatis,  
CHRISTVS ubi absoluit grande Salutis opus.*

*In vitam rediit, superata Morte; soluto  
Inferno; victo jam Phlegethonte truce.*

5 *Omnis in hoc nostrae consistit summa salutis;  
CHRISTI vita mei, vita beata mea est.  
Felix qui CHRISTVM redivivum suspicis unum:  
CHRISTI vita tui, vita beata tua est.*

apposuit  
M. Johannes Eri Stregn.  
Mathemat. super. et Phys.  
Prof. Publ.

39. Adr: Ericus A. Holstenius – Aut: Olaus Salenius (cf. 38) UUB, Växjö LB, BRAN, [Tartu UB]  
GRATULATIO

5 *Strenuus ut Miles vibrat data fulmina Martis,  
Quo valida capiat munera grata manu:  
Sic, Docte Holsteni Musarum fervide Cultor,  
Thespiadum cupida munera mente legis;  
Delibent alij largi Carchesia Bacchi,  
Tu Latios, Grajos, funderis ore sales:  
His precor ut vigeas: te cinget Apollo corona,  
Et venies Patriae gloria magna tuae.*

Ita Sympatriotae L. mque applaus.  
OLAUS SALENIUS,  
Pastor Ringensis.

40. Adr: Ericus A. Holstenius – Aut: Abrahamus Georgii Thauvonius (cf. 38)  
UUB, Växjö LB, BRAN, [Tartu UB]  
GRATULATIO

ERICUS ANDREAE HOLSTENIUS:

*Ἀναγράμ.*

LUCES IN ORE; I; SANARE STUDE.<sup>13</sup>

5 *Lingvae usum varium, et, multum est, rationis amussim  
Noscere; sed Fidei Dogmata, majus opus!  
Hebraeae et Grajae decorat te cura Minervae,  
Et Logices studium re meliore beat.  
Gratius ast nihil esse potest, quam attendere Sacris,  
Quae Vetus, et Pactum dixerit usque Novum.  
Holsteni, decorant haec te, redduntque beatum;  
Eusebiae et Sophiae cognitione clues.  
Eusebiae et Sophiae LUCES bene pulcer IN ORE:  
10 I; SANARE STUDE, si quid obesse potest.*

Τῆς φιλαδελφίας ἔνεκα gratulatur  
ABRAHAMUS GEORGII THAVONIUS.

41. Adr: Ericus Andreae Holstenius – Aut: Andreas Virginius (Sacris magisterii honoribus: quos, facultatis philosophicae decanus /.../ Johannes Eri Stregnensis, super. mathem et physic. profess.

<sup>13</sup> Anagramma non recte constructum

ordin. in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ die 8. Novembris, anno 1647, publice /.../ conferebat /.../ Erico Andreae Holstenio, Westmannia Sveco: quaevis fausta precantur Musae Embecciaes. Dorpati Livonorum, 1647: J. Vogelius)

H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Quid petis, HOLSTENI? num dicam carmine laudes?  
In laudes nihil est luxuriare tuas.  
Novit Dorpatum; novitque Academia tota  
Queis sis ornatus dotibus ingenij!  
5 Quod petis ergo dabo, cordis mea candida vota;  
Votis hisce Deus pondus inesse sinat.  
Semper honos vigeat, firma et laus posthuma constet,  
Quam tua promeruit cura laborque gravis.  
Nestoris et vivas annos hoc clarus honore,  
10 Et Patria hinc capiat commoda multa, precor.

Andreas Virginius,  
SS. Theol. D. et Prof.

42. Adr: Ericus Andreae Holstenius – Aut: Laurentius Ludenius (cf. 41)

H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

ARRHA laboris, *Honos: Honor* acti est ARRHA pericli:<sup>14</sup>  
Ingenuae mentis Fax *Honor: ARRHA* Boni.  
ARRHA triumphantis MUSAE, *Duce et Auspice Christo*,  
Serta *Magisterij* deliciosa cluent.

M. ERICVS ANDREAE HOLSTENIVS:

*Per Anag.*

DEO ET MUSAE LUCENS IN ARRHIS.

5 Et tu, *Mercurij Soboles; tu juge Lycei*  
*Delicium; Aonij Fama Decusque Chori;*  
Esto DEO ET MUSAE LUCENS florentis In ARRHIS  
Ingenij: ARRHArum nomine dives eris.  
Sic! Bene sic dici consvescis, ERICE, MAGISTER;  
10 Et MUSAE, ET LUCENS candida Vita DEO.

Quod in felix omen app.  
Laurentius Ludenius, Ph. et J.U.D.  
Poët. Cor. Prof. Ord.

43. Adr: Ericus Andreae Holstenius – Aut: Michael Bostadius (cf. 41)

H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Cantantur merito, praeconia laeta feruntur,*  
*Quos juvit multae prosperitatis Agon.*  
*Carmine narrantur, quos tangit nominis ardor,*  
*Quique suum studium sedulitate fovent.*  
5 *Haec vigili volvens indagine mentis ERICVS*  
*HOLSTENIVS, studuit dexteritate pius.*  
*Pieridum in coetu sudavit gnaviter ille:*  
*Audiat utque SOPHOS, sedula cura fuit.*  
*Arte etiam coluit Lingvas: est Grajus et Heber;*  
10 *Et Clariae Musae fidus Amator ovat.*

<sup>14</sup> *pericli pro pericli* H metri causa

*Pro tantis ausis, Pallas sacra praemia confert,  
 Digna pio Ingenio, digna Magisterio.  
 Jamque comas meritas cingit Thymbraeus Apollo,  
 Cultoremque suum debito honore beat.*  
 15 *Sit faustum et felix. Faustum tibi grator honorem:  
 Et clarum nomen, jam sine fine feras.*

Bonae affect. Ergo deproperabat  
 M. Michaël Bostadius,  
 ad Aed. D. Mar. Pastor.

44. Adr: Ericus Andreae Holstenius – Aut: Olaus G. Salenius (cf. 41)

H, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

Herbam melligeram praesentat ERICVS ericam,  
 E qua mella bibunt dulcia Daedalae apes.  
 Aonio quoties sonitu pia verba figurat,  
 Os toties ejus dulcia mella sonat.

5 Non livor Juvenem, non herbam hanc rodat eruca,  
 Qui nil ni lingua dulcia mella sonat.

In honorem Praestantissimi Domini Erici Holstenij  
 Sympatriotae, Compatriis et Amici optimi,  
 gratulabundus cecinit  
 Olaus G. Salenius,  
 Westman. Svec. P. Ring.

45. Adr: Ericus Andreae Holstenius – Aut: Laurentius Morman (cf. 41)

H, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

ERICUS ANDREAE HOLSTENIUS  
*Per Anag.*  
 SANE, HIC SVAVITER REDOLENS.

SVAVITER HIC REDOLENS SANE Virtutis amator,  
 Et SANE HIC REDOLENS SVAVITER Artis amor.  
 SVAVITER HIC REDOLENS illi Virtutis oliva,  
 SVAVITER et REDOLENS porgitur Artis honos.

5 Innumeros REDOLENS HIC SANE SVAVITER annos  
 Floreat, et REDOLENS SVAVITER astra petat.

Ita Amico candidissimo Candide gratulari  
 voluit

Laurentius **Morman / Dalkarl.**

46. Adr: Ericus Andreae Holstenius – Aut: Andreas Bergh (cf. 41)

H, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

Surgit Dorpati sublimis vertice collis,  
 Qui plus centenis passibus alta petit.  
 Hic vivo mollis semper stat cespite tellus,  
 Quem gelidis saxum jugiter auget aquis.  
 5 Summa virent Lauru; sed vestit coetera quercus,  
 Et multum redolens hic Libanotis olet.  
 Hic variae volucres densis sub frondibus haerent,  
 Fallentes dulci tempora longa vice.

10 Mane ubi jam primum rutilans aurora rubescit,  
 Et lucem nobis porrigit orta dies;

Fervidus huc propero, celeres huc dirigo gressus,  
 Quo rapidam possem fonte levare sitim.  
 Horrida jam rapidi non fundunt murmura venti,  
 Et virides nemoris nec strepuere comae.  
 15 Nam modo circumflans Eurus, qui surgit ab ortu, et  
 Africus a sero vespere, rite silent.  
 Jam stridens Boreas, gelida qui surgit ab Arcto,  
 Et Notus immotus voce tacente tacent.  
 Attamen arcanum murmur, sylvaeque sonantes,  
 20 Et strepitus Aures personuere meas.  
 Figo pedem; vigiles oculos per singula volvens  
 Me ratus hic aliquid cernere posse novi.  
 En ter tres Nymphas in summo vertice vidi  
 Saltantes, passis purpureisque comis:  
 25 Castis virgineae frondes de culmine lauri  
 Decerpunt digitis, laureaserta parant.  
 Agnovi: veniunt indutae vestibibus albis;  
 Virginei flores, Pieridumque chori.  
 Moribus adventant castis Heroides almae,  
 30 Certatim secum dona operosa ferunt.  
 Praestolor Aoniae turbam stupefactus in umbra.  
 Quaerens, quo studeant deproperare gradus.  
 Dorpatum dicunt properamus poplite flexo,  
 Ut demus juveni docta Trophaea Viro.  
 35 Ordine progreditur pulcherrima pompa Sororum;  
 Tale refertque mihi Musica turba Melos.

*Calliope.*

Conspicuis donis, florens HOLSTENIUS annis,  
 Et praestans Phoebi, Pallados atque bonis.  
 Incoepit dextre, bene perfert; finit amicas  
 40 Artes, hinc ipsi Laureaserta fero.  
 Lauriger et vireat, vivat ter faustus in orbe,  
 Dum dat humus ventos, sudat Olympus aquas.

*Clio.*

Sic HOLSTENIUS, altum decus ordinis  
 Nostri, perpetuo floreat apprecor,  
 45 Ceu florens Amaranthus Libani in jugis.

*Erato.*

Ingens Pieridum decus,  
 En HOLSTENIUS, ut strenuus Hercules  
 Certavit valide meis  
 In Castris: animae dimidium meae;  
 50 Sospes, ceu viridis viret  
 Laurus: Secula per singula germinet.

*Euterpe.*

Fulgida lucentis ceu Coeli sidera lucent,  
 Spartica vel Myrthus viret; almae  
 Sidus sic Sophiae, Myrthusque, HOLSTENIUS alte  
 55 Luceat, et vireat precor usque.

*Melpomene.*

Vivat ERICUS juvenum corona,  
 Floreat semper decus o Sororum  
 Et gerat sospes viridi corollas  
 Fronde paratas.

*Polymnia.*

60 O  
 Ego  
 Profecto  
 Docto, pio,  
 Probo, Sagaci,  
 65 Culto, Viraginis  
 Olympici Parentis  
 Nato, et Cohortis Musicae  
 Choro Sodali ut ac Alumno  
 HOLSTENIO condigna proemia  
 70 Grati laboris sedulo peracti  
 In Palladis Choro, palaestra et artibus;  
 Pia fero manu: vovens hinc ceu corolla  
 Tenace Lauri ramulo contorta, perpetim  
 Vernans manet semper. Virescat sic Alumnus hicce.  
 75 Mecum venusta Apollinis cohors venuste concinit.

*Terpsichore.*

Est mihi curae,  
 Mente Sodalem  
 Cingere pura.  
 Aspice qualem  
 80 Mente politum  
 Pallados arte,  
 Mente politum in  
 Pallados arce  
 Cernis ERICUM,  
 85 Qui probitate  
 Gravior aura,  
 Qui pietate  
 Purior unda.  
 Qui bonitate  
 90 Svavior uva.  
 Lauriger ergo  
 Nestoris annos  
 Vivat amice.

*Thalia.*

95 Ut Laurus viret in vertice Maenali  
 Aspirantibus Euris tepidissimis  
 Sic HOLSTENIUS inter  
 Claros floreat unice.

*Vrania.*

Nostin quaeso meum HOLSTENIUM, Amicum? age  
 Pulchris Moribus atque Artibus optimis  
 100 Ornatum? hacce corona caput illius  
 Perdoctum viridi fronde premam: Vale.

Honoris, Amoris et Moris E. Amico et Sympatriotae  
 Suo candidissimo, ita candide gratulari  
 voluit

Andreas **Bergh** /  
 Westman.

47. Adr: Ericus Andreae Holstenius – Aut: Johannes Marquardus Stiernhielm (cf. 41) H, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

ANACREON

*Adeste nunc, Camoenae,  
 Charitesque adeste mecum;  
 Et quicquid est amoeni  
 Vsquam, orbe toto. Adeste.*  
 5 *En PHOEBVS ipse celso  
 Fastigio locatus  
 Stat, jam daturus alma  
 Clientibus brabea.  
 Hos inter eminere*  
 10 *Cernetis unum, ERICVM  
 HOLSTENIVM; subacti  
 Cui dedere MORES,  
 Mentem, indolemque honestam;  
 Lingvaque multilingvi*  
 15 *Dilavit ora SVADA.  
 SOPHIA aequa pectus ornat  
 Varia severiorum  
 Gaza SCIENTIARUM;  
 Et ARTIVM figurat*  
 20 *Pulcro politiorum  
 Consortio decorum.  
 Adeste nunc, Camoenae,  
 Charitesque adeste mecum;  
 Et quicquid est amoeni*  
 25 *Usquam orbe toto. Adeste  
 Huic accinamus omnes:  
 Huic jubilante voce,  
 Plausuque laeto ovantes  
 Ter, et amplius precemur:*  
 30 *FELICITER! Secudent  
 Dii, prosperentque honores*

*Tanto sudore partos,  
Tanto labore dignos!*

Honoris et amoris ergo cecinit  
Johan. Marquardus **Stiernhielm** /  
Haereditar. in Wasula.

48. Adr: Ericus Andreae Holstenius – Aut: Nicolaus Ahasveri (cf. 41)

H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Mopsus et Philomusus.*

- M.* Ecce novus scandit Musarum culmina Mysta.  
*P.* Scandat: Nam nitidae est Mysta sacer Sophiae.  
*M.* Romanusne satu? *P.* Non sanguine, at ore. *M.* quis ortum  
Vendicat egregium? *P.* Svetica terra sibi.  
5 *M.* Quid facit, ut scandat? *P.* virtus. *M.* et praeterea quid?  
Tinctum Gorgoneo rite liquore caput.  
*M.* Quo Praeses dono Mystae caput ornat Apollo?  
*P.* Florenti lauru, quae sine fine viret.  
*M.* Nomine quo gaudet Mysta hic? *P.* HOLSTENIUS *M.* estne  
10 *Wesmannus* genere? *P.* Est. *M.* Munera nonne feram?  
*P.* Fer. *M.* quae? *M.* Vota; *M.* Sat est: Praeeas modo, non remanebo,  
*P.* Felix faustus honor! *M.* Sit, precor, HOLSTENIO.

Honoris et amoris ergo scripsit  
Nicolaus Ahasveri.

49. Adr: Ericus Andreae Holstenius – Aut: Christianus Jheringius (cf. 41)

H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*ERICVS ANDREAE HOLSTENIVS:*  
Per Anag.  
*NAE HIC RADIVS SERENVVS OLET.*

- Fama virtutis, RADIVS SERENVVS,*  
*Fama Doctrinae redOLET remote, et*  
*Candidos ultra Siculos et Indos*  
*Spargit odores.*  
5 *Talis est HIC NAE RADIVS SERENVVS,*  
*Talis est HIC NAE redOLEns Magister,*  
*Cujus e fama, redOLEns per orbem*  
*Spargitur aura.*  
*Vivat o faelix! RADIVS SERENVVS;*  
10 *Vivat hinc foelix, OLEaT Magistri*  
*Svaviter virtus, RADIOS SERENOS*  
*Spargat in orbem.*

Moris et honoris E. apposuit  
Christianus Jheringius,  
Suderman. Svecus.

50. Adr: Ericus Andreae Holstenius – Aut: Gustavus Andreae Appelboom (cf. 41)

H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Splendor Virtutis nullum offuscatur in aevum;*  
*Interitum certe nesciet artis honos.*  
*Haec duo sectaris junctim tu, docte MAGISTER*

*HOLSTENI; quare fama perennis erit.*

Honoris et amoris ergo apposuit  
Gustavus Andreae **Appelboom.**

51. Adr: Ericus Andreae Holstenius – Aut: Laurentius Wallerius (cf. 41) H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Laetum tempus adest, quo gnavis donat Alumnis  
Auricomus Phoebus praemia larga suis.  
Gnavus Alumnus eras, HOLSTENI, candide Amice;  
Quae meruit, capiat frondeaserta Labor.  
5 Exopto Pylios ducas feliciter annos,  
Nomine Te claro Dorptica Musa beat.  
LAVRENTIVS WALLERIVS, Helsingius.

52. Adr: Ericus Andreae Holstenius – Aut: Gudmundus Lidenius (cf. 41) H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Plaudite Pierides; bene vestro plaudite Alumno  
HOLSTENIO; Laurus clara paratur ei.  
Musarum in castris, ut miles strenuus, ivit:  
Ceupia vita probat, ceupia scripta docent.  
5 HOLSTENI, hinc titulos, clari nomenque MAGISTRI  
Suscipe; sis patrio Splendida gemma Solo.  
Non tam moris, quam amoris E. scripsit  
GUDMUNDUS LIDENIUS, Smol. Svecus.

53. Adr: Ericus Andreae Holstenius – Aut: Nicolaus Verginius (cf. 41) H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Praemia Virtutis.*

Palma, Corona, Decus, Lux, Laurus, Laus, Honor, Aurum,  
Virtuti addictos Nobilitasse solent.

**Wie Mars der starcke Held/ mit seinen tapffern Kindern/  
Den Feind in Hitz/ vnd Kält/ in wachen auch nicht minder/  
5 Nachsetzen soll/ vnd muß/ biß er für sein Beswer/  
Erjagt des Feindes Beut/ der Thaten Lob vnd Ehr:  
Also O Musen Sohn/ hat er in seiner Jugend/  
Kein Zeit vorbey gebracht/ in dem er nicht der Tugend/  
Sehr nach gesetzet hat/ kein Hitz hat er geacht/  
10 Viel weniger die Kält darzu viel Nacht gewacht  
Biß er diß Ziel ersagt: Sein Nahme wird für allen/  
Für allen Lands=Leut auch im Vaterland erschallen/  
Die Pallas Söhne hier/ die geben ihm zum Lohn  
Für seinen grossen fleiß/ der Tugend Ehren=Krohn  
15 Drumb diese grosse Ehr/ vermehr er Herr Magister,  
Mit vnersparhten Fleiß/ daß man ihn GOTTes Priester  
Noch dieses jahr hie nenn/ vnd dann auch übers Jahr  
Professor nennen mag; dazu ein schönes Paar  
Die seine Müh bezahl/ und jhn mit Freud ergetze  
20 Die Unkosten dabey sein reiche Braut ersetze/  
Glückselig wird er seyn/ den der jhn nur gekandt/  
Wird sagen dieser hat sein Zeit wol angewand.**

Amico suo singulari posuit  
NICOLAUS VERGINIVS, A. F. Nob.

54. Adr: Ericus Andreae Holstenius – Aut: Georgius G. Gezelius (cf. 41)

H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Svrgite, Musae,  
Gloria Pindi;  
Quaerite frondes,  
Carpite flores  
5 Culta per arva  
Atque roseta.  
Cingite flore  
Tempora docta;  
Cingite fronde  
10 Tempora clara.  
Spargite rore,  
Tempora casta:  
Ferte Corollas,  
Atque Smaragdos.  
15 Huicce Magistro.  
Quaerite plectra,  
Verba ligate;  
Carmina mille  
Rite sonate;  
20 Addite votum,  
Addite laetum,  
Addite gratum:  
Lauriger hicce  
Tempora longa,  
25 Vivat ERICVS,  
Arte MAGISTER.

Ita Chariss. Dn. Praeceptoris suo animitus gratulabatur  
GEORGIVS G. GEZELIVS

55. Adr: Ericus Andreae Holstenius – Aut: Ambernus Haquini Printz (cf. 41)

H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

ERICUS ANDREAE HOLSTENIUS;  
*Per Anag. E. in O. mut.*  
RHETOR AULICUS, AËDON SENIS.

*Filius es coeli, Proles nitidissima Phoebi,  
HOLSTENI; capies praemia digna Viro;  
Praemia digna Viro, quo non praestantior alter,  
Nam fervens Virtus vindicat apta tibi.*  
5 *AULICUS es RHETOR; SENIS es bene svavis AËDON,  
Fundis ubique sonos; fundis ubique melos.*  
*Cincta Embecciaes Lauro Parnasside Musae,  
Pulsetis laeta Cymbala tota manu.*  
*Evehit HOLSTENIUM praeclara ad sidera Virtus,  
10 Cujus jam Lauru cingit Apollo comas.*

*Decurrant faciles felici sidere Menses;  
Stante DEUS vitam prosperitate beet.*

ANNO;

*LILla Dat VIVIs reDIVIVa en ferVIDVs VsVs.*<sup>15</sup>

Ita Amico suo ex animo gratulari voluit ac debuit  
AMBERNUS HAQUINI **Printz/** W-Gothus

56. Adr: Ericus Andreae Holstenius – Aut: Arvidus Sigismundus Brandt (cf. 41) H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Laetor, HOLSTENI; Tibi nunc honores  
Conferunt gratos Clariae Sorores:  
Quaeso sint fausti. Bene tu Valeque,  
Clare Magister.*

Fausta Congratulationis Erg. haecce Dn. Commensali  
deproperabat  
ARVIDUS SIGISMVNDVS **Brandt**

57. Adr: Magnus Andreae Hööck – Aut: Salomon Matthiae (Disputatio theologica de creatione mundi;  
quam /.../ in Regia Livonorum Academia /.../ sub praesidio /.../ Andreae Virginii, /.../ ventilationi  
proponit, respondens Magnus Andreae Hööck, /.../ die <> Jun. anno 1647. Dorpati Livonorum, 1647:  
J. Vogelius) BRAN, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Qvique Viros, totas sylvasque ferasque creavit,  
Et plenas magni sustinet orbis opes;  
Adferat auxilium, conatum dirigat omnem:  
Atque dati coepti pulcrrior actus erit.*

Ita Praestantiss. Doctissimoque  
Dn. Respondenti gratula-  
ri voluit  
M. Salomon Matthiae,  
SS. Th. P.P. et ad D. Johan.  
Pastor.

58. Adr: Magnus Andreae Hööck – Aut: Laurentius Ludenius (cf. 57) BRAN, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Praestantiss. et Humaniss.  
Dn. Respondenti.*

Mirror; in aetherio quod sit Vertumnus Olympo,  
Et Terra in nullo ponat vestigia fundo,  
Pendentique super claudantur ut omnia Coelo!  
Felix, qui tantas arcano foedere moles,  
5 Atque DEI, narras, VERBO Omnipotente creatas.

In felix a. s.  
Laurentius Ludenius, Ph. et J.U.D.  
ac Profess. P.

<sup>15</sup> Chronodistichon annum 1647 exhibens

59. Adr: Arvidus Laurentii Hygridius – Aut: Laurentius E. Emzelius (De cognitione nostri oratio: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ die 24. April. anno 1647. publice /.../ enarrabat Arvidus Laurentij /.../. Dorpati Livonorum, <1647>: J. Vogelius)

SKB, UUB, Växjö LB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

ARVIDUS LAURENTIJ HYGRIDIUS:  
*Ἀναγραμμα.*  
IN JURE LAUDAS, HYGRIDI, VIRTUS!

*Multi multa retro laudant in secula Doctos,  
Quos faciles VIRTUS protulit arte sua.  
Tu JVRE, HYGRIDI, LAVDAS meliore refersque  
Quid sit se nosse, ac interiora sua.*  
5 *Eximia est VIRTUS, merito pars candida famae;  
Noscere se, summum Noscere posse Deum.  
Perge, doce solers, naturam noscere nostram,  
HYGRIDI; VIRTUS sic tibi JVRE venit.*

Ornatissimo et Doctissimo Dn. Peroranti,  
Amico Syncere dilecto, haec in Amicitiae signum apposuit  
Laurentius E. Emzelius,  
WestroGothus.

60. Adr: Arvidus Laurentii Hygridius – Aut: Ambernus Haquini Printzcius (cf. 59)

SKB, UUB, Växjö LB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

ARVIDUS LAURENTIJ HYGRIDIUS.  
*Per Anagramma.*  
HYGRIDI, SUDAS; I LAURU VIRENTI.

*Ut roseo blandum Ver omnia cingit amictu;  
Te studijs sacrae sic excoluere Camoenae.  
Hinc animo laetus, candide Amice, tibi  
Signo brabea.*  
5 *HYGRIDI, SUDAS; I LAURU, exopto, VIRENTI:  
Fervida Musarum sectaris pectore castra:  
Det Deus, ut solers praemia grata feras.  
Vive, Valeque.*

Ita Vovebat animus et  
Calamus  
Amberni Haquinj  
Printzij.

61. Adr: Arvidus Laurentii Hygridius – Aut: Johannes Petrj Falch (cf. 59)

SKB, UUB, Växjö LB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Hoc opus egregium, quod volvis, Sympatriota:  
Exornas vitam laudibus eximijs!  
Et te Embecciaes laudant satis undique Musae,  
Rite tuumque fovent hoc docile ingenium,*  
5 *Patria pulcra canet tibi jam praeconia laxa;  
Illa pium studium nunc repetetque tuum.*

Haecce, fraternitate fretus

apposuit  
Johannes Petrj Falch,  
WestroGothus.

62. Adr: Arvidus Laurentii Hygridius – Aut: Paulus Petri Rhavingius (cf. 59)

SKB, UUB, Växjö LB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Sedulus ut Miles, fortem se praestat in armis,  
Unde sibi et patriae commoda magna parat:  
Sic facis, Hygridi, praedulcis Sympatriota,  
Acriter in studijs consulis ipse tuis.  
5 Perge; tuis coeptis det vela secunda Jehova.  
Ut Patriae prosis, Vive, vigeque precor.

Ita Sympatriotae suo gra-  
tulari voluit  
Paulus Petri Rhavingius,  
WestroGothus.

63. Adr: Ericus Kolmodinus – Aut: Johannes Erici Stregnensis (Disputatio ethica de virtutibus moralibus in genere; quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ sub praesidio /.../ Johannis Erici Stregnensis, /.../ publicae censurae discutiendam ac ventilandam exhibet Ericus Kolmodinus, /.../ ad diem <3.7.> 1647. /.../. Dorpati Livonorum, 1647: J. Vogelius)

SKB, UUB, H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Humanissimo atque Doctissimo Dn. Respon-  
denti, Sympatriotae suo Charissimo.

*Delicium Humanae Virtus pulcerrima Vitae;  
Ad Coelos Virtus Nobile pandit iter.  
Deveneranda pias respectant Numina Mentis;  
Est pietas toti deliciosa Polo.  
5 Conscia justitiae Mens, et sibi conscia Recti,  
Immensi felix floret in orbe Soli.  
Pulcra recordari benefacta peracta Voluptas;  
Inclyta, cum vera Simplicitate, Fides.  
Felix ad laudem tua dum pulcerrima virtus  
10 Nititur; hinc vitam Fasque Bonumque regat.*

Sic gratulari voluit  
M. Johannes Erici Stregn.  
Mathem. Super. et Physic.  
Prof. Publ.

64. Adr: Ericus Kolmodinus – Aut: Petrus Caroli Udenius (cf. 63) SKB, UUB, H, [Tartu UB]

GRATULATIO

*In Sophiae sudas bene KOLMODINE salebris  
Phoebi subsidio, Palladis auxilio.  
Horrentesque rubos, et amantes ardua dumos  
Ingenij excidis falce sagace pij.  
5 Laude salutifera virtutis dogmata tractas;  
Illa satis nunquam laudis habere potest.  
Ut res grata Deo, sic proximo humilima Virtus,  
Unde satis nunquam laudis habere potest.  
Hinc eris, Assyrio cui quondam crinis amomo*

10

*Splendeat, et cingat Flora decora caput.*

Humaniss. atque Doctiss. Dn. Respondenti, et Thesium  
harum Authori dexterrimo, paucissimis hisce  
gratulari voluit  
M. Petrus Caroli Udenius,  
W-Gothus, SS. Theol. Stud.

65. Adr: Ericus Kolmodinus – Aut: Andreas Koßkull (cf. 63)

SKB, UUB, H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Nescia, stat Virtus, turpem perferre repulsam,  
Assequitur laudes, ut gravitate viget.*

Paucis hisce, animi sui promptitudinem erga Dn. Re-  
spondentem, Amicum, Convictorem suum sva-  
vissimum declarare voluit  
Andreas **Koßkull** / Junior;  
Nob. Svecus.

66. Adr: Andreas Koßkull – Aut: Laurentius Ludenius (De venatione oratio: quam, /.../ in Regia  
Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ die 17. Februar. anno 1647. publice /.../  
enarrabat Andreas Koßkull, jun. /.../. Dorpati Livonorum, 1647: J. Vogelius)

SKB, Växjö LB, H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Nobilissimo et Praestantissimo Dn. Peroranti.*

ANDREAS KOSKUL:  
*Per Anag. K pro C retento:*  
KALKANS EDUROS.

Sic CALCANS Virtutis iter; Christo Auspice, CALCANS  
EDUROS. CALCANS i Pietatis iter.

In felix omen app.  
Laurentius Ludenius, Ph. et J.U.D.  
ac Prof. Ord.

67. Adr: Andreas Koßkull – Aut: Johannes Eriki Stregnensis (cf. 66) SKB, Växjö LB, H, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Sic tua Nobilitas de sangvine fulgeat alto!  
Sic patris, ANDREA, sis Generosus amor.  
Tu rerum causas, et quod natura doceret,  
Venaris Studij dexteritate pij.  
5 Venaris, quae Socratico sapientia libro est  
Conditā; venaris quae Themis aequa probat.  
Et modo deprendis<sup>16</sup> Venator in aëre praedam,  
Dum volucrem captas Aucupis arte feram.  
Jam celeres jaculo lepores, cursuque fatigas,  
10 Jamque citos urges per juga summa canes.  
Sic juvet incinctae Studia exercere Dianae:  
Sic Themis optatam monstret ad astra viam.  
Hoc nitor ille tui Generis desideret alti,  
Hoc erit aeternae Nobilitatis opus.*

Sic Nobilissimo atque Praestantissimo  
Dn. ANDREAE **Koßkull** / Jun.  
gratulari voluit

<sup>16</sup> deprendis pro deprehendis S metri causa

M. Johannes Eri Stregnensis,  
 Mathemat. Super. et Phys.  
 Prof. Pub.

68. Adr: Andreas Koskull – Aut: Laurentius Emzelius (cf. 66) SKB, Växjö LB, H, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

ANDREAS **Koskul** JUNIOR, NOBILIS:  
*Ἀναγραμ.*  
 BONA VENARIS, KOSKUL: NOLI DIRIS.

*Gnaviter ut densis nemorum venatur in umbris  
 Venator properans, vastaque tesqua colit:  
 Siccine mente pia, soboles nitidissima KOSKUL,  
 Tu BONA VENARIS, sensibus apta tuis.*  
 5 *Impiger ut saltet venator rupibus altis,  
 Et Globulis Pharetram farciat ipse suam.  
 Siccine mente pia, Generosi sangvinis aequa  
 Proles, VENARIS dexter in orbe BONA?  
 Perge, velut pergis, VENARI Pallados arte,  
 10 *Delicium, KOSKUL, Pallados, Eunomiaie.  
 Perge, precor; NOLI DIRIS accendier Iris,  
 Jurgia ne possint soeva nocere tibi.  
 Acriter in coepto VENARI tramite perge,  
 Et faveat Studiis Gratia grata tuis.**

Nobilissimo et Praestantissimo Dn. Peroranti,  
 haec in Honorem et Amicitiae  
 signum apposuit  
 Laurentius Emzelius, W-Gothus,  
 SS. Theol. Stud.

69. Adr: Johannes Kuuth – Aut: Laurentius Ludenius (Disputatio theologica in caput vigesimum a v. 1. usque ad v. 19, D. evangelistae Iohannis selectissimas notas exhibens, in Regia Academia Dorpatensi publicae censurae subjicietur, praeside Andrea Virginio, /.../ respondente Johanne Kuuth, /.../ die <> anni 1647. Dorpati Livonorum, 1647: J. Vogel) Växjö LB, BRAN, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Doctiss. et Humaniss. Dn. Respondenti.*

*Illa dies postquam se tertia protulit orbi,  
 Ut, delens fuso peccatum Sangvine CHRISTUS,  
 Comminuensque caput veteris crudele Colubri,  
 Inde resurrexit vitales laetus in auras:*  
 5 *Sic consummata cum lux erit ultima Mundi,  
 CHRISTUS corporeos Animas hos mittet in artus;  
 Et subito dispersa vigor per membra volutus  
 Vivet; erit venis redivivus sanguis inundans.  
 Et cito, CHRISTUS ubi caput est praenobile nostrum,  
 10 *Nos etiam sua membra trahet clarissima secum,  
 Ardua qui sanctae Fidei mysteria discis,  
 Sis felix: laeta aspiret fortuna labori.**

Quod an. vov.  
 Laurentius Ludenius, Ph. et J.U.D.  
 Profess. Ord.

70. Adr: Johannes Kuuth – Aut: Petrus Caroli Udenius (cf. 69) Växjö LB, BRAN, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Eusebiae et Sophiae proles dilecta, JOHANNES,  
Aonij et nostri portio magna chori:  
Sic dedit Ingenium magnum tibi magnus Apollo,  
Quod propria ingenuus sedulitate foves;  
5 Dum Sophiae spissas evolvis vomere arenas,  
Inde tibi veniant munera sancta, precor.  
Biblia scrutaris pulcherrima pectore laeto,  
Et pia pro Christi nomine bella geris.  
Dogmate sacro, sancti tuba nuncia verbi  
10 Evades, quondam coelica verba sonans.  
Sic supereveniet tibi quod sacra pagina spondet:  
Euge bone o Serve, hinc ingredere Astra Poli!*

In felix omen paucula haecce  
adjecit  
M. Petrus Caroli Udenius,  
W-Gothus, SS. Theol. Stud.

71. Adr: Johannes Kuuth – Aut: Andreas Koßkull (cf. 69) Växjö LB, BRAN, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Perge bonis avibus, sacris incumbere Musis,  
KVTHI; Delicium pulcrius Eusebiae.*

Ita app.  
Andreas **Koßkull** /  
Jun. Nob. Svec.

72. Adr: Johannes Kuuth – Aut: Andreas A. Malmenius (cf. 69) Växjö LB, BRAN, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Svlcator Ponti peregrinas pulsus in oras,  
Per varios casus horribilesque vias:  
Vt repetat Patriae dulcissima tutius arva,  
Et magni tranet tutius arva sali;  
5 Sollicita stellas observat mente Polares,  
Et manui pyxis nautica semper adest.  
Nos omnes miseri, peregre his versamur in oris,  
Ejecti patria sede, patente prius.  
Tutius ergo quo repetamus tecta relicta,  
10 Tranemusque pie puppibus orbis aquas;  
Nobile depositum, coelestia pacta Jehovae,  
Naviculae pyxis, stella Polaris, erunt.  
Haec tu perpendis, mi Sympatriota JOHANNES,  
Vt tandem Patriam tutus adire queas;  
15 O sequere hanc Stellam, juxta hanc tu dirige puppim,  
Atque eris aeterni stella futura soli.*

In syncerae amicitiae arrham, Amico  
infucato sic gratulari voluit  
Andreas A. Malmenius,  
Sudermannus.

73. Adr: Thomas Kühn – Aut: Laurentius Ludenius (De anima oratio: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ die 15. Sept. anno 1647. publice /.../ enarrabat Thomas Kühn, /.../. Dorpati Livonorum, <1647>: J. Vogel)(cf. 115) SKB, Växjö LB, LAB, Tartu UB

GRATULATIO

*Doctissimo et Humanissimo Dn. Peroranti.*

THOMAS CÜHNIUS:

*Per Anag.*AH! CUM HIS NOTUS.<sup>17</sup>

Pieridis NOTae, Christo Duce et Auspice, Musae:

HIS, AH! CUM Musis tu bene NOTUS eris.

In felix auspiciū app.

LAURENTIUS LUDENIUS, Ph. et J.U.D.

Prof. Ord.

74. Adr: Thomas Kühn – Aut: Johannes Eriki Stregnensis (cf. 73) SKB, Växjö LB, LAB, Tartu UB

GRATULATIO

*Sic, quae causa Animas per totum provehat aevum,**Et teneat vitam quae rata causa datam;**THOMA, Delicium Musae, pia fama Lycei,**In scripto hoc sensu candidiore doces.*5 *Cum lapsa intereunt jam corpora, sola superstes**Nostra Anima in sedes evolat aethereas.**Perge, velut pergis: pulcra statione locabis**Famam, Animamque tuam. Rite beatus eris.*

Honoris ergo haec apposuit

M. JOHANNES ERICI STREGNENSIS,

Mathem. Super. et Phys. Prof. P. Facultat.

Philosoph. p.t. DECANUS.

75. Adr: Thomas Kühn – Aut: Johannes Conrad Schneider (cf. 73) SKB, Växjö LB, LAB, Tartu UB

GRATULATIO

*Ipsa Animas animat Divina Potentia nostras;**Atque animant Animae Corpora nostra datae.**Hinc redit in terram cum Corpus, nostra superstes**Altum Anima in Coelum sorte beante redit.*5 *Felix, qui curas Animae, qui corporis una**Commoda procuras! sic animosus eris.*

Haecce pauca in felix omen adjecit

JOHANN. CONRAD **Schneider** /

Nordlingensis, SS. Theol. Stud.

76. Adr: Thomas Kühn – Aut: Martinus Röselerus (cf. 73)

SKB, Växjö LB, LAB, Tartu UB

GRATULATIO

THOMAS CÜHNIUS LIVO-RIGENSIS.

*Per Anagr. h. in e.*CUJUS OMEN HIS VOLITANS ERIGIS?<sup>18</sup>

Optime Pieridum Frater, perspecte Sodalis,

Vincula qui firma junximus usque fide:

Dic mihi, CUJUS erit nunc OMEN nomen amatum,

Quod VOLITANS animi HIS ERIGIS ac Animae?

5 Forte per hanc Animam: Patriaeque cacumen honoris

<sup>17</sup> Anagramma non recte constructum<sup>18</sup> Anagramma non recte constructum.

Erectum censes? Sic: bene cedat opus!

Et Affinitatis ratione, et honoris symbolo posuit  
MARTINUS RÖSELERUS, LL. Stud.

77. Adr: Mauritius Lemnerus – Aut: Augustinus Eberhardi (De libero arbitrio oratio: quam /.../ in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ die 14. April. anno 1647. publice /.../ enarrabat Mauritius Lemnerus, /.../. Dorpati Livonorum, <1647>: J. Vogelius)

SKB, Växjö LB, H,LAB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Doctiss. et Humaniss. Dn. Peroranti.*

MAURITI, decus Eunomiae, gratissima nostri  
Cura sodalitiij, delictumque meum:  
Libera quae Divini homines arbitria dicant,  
Res quondam obscurae cognitionis erat.  
5 At jam, dante Deo, Christo Duce, et Auspice Flatu,  
Ardua res, facilis cognitionis erit.  
Sic ex Divino tua ducta Oratio Verbo  
Monstrat, et optata dexteritate docet.  
Sis bonus o felixque pio conamine semper,  
10 Et Musae vivas candidioris amor.

In felix ausp. sc.  
Augustinus Eberhardi,  
Gryphiswald. Pomer.

78. Adr: Mauritius Lemnerus – Aut: Zacharias Koch (cf. 77) SKB, Växjö LB, H,LAB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Quem Penes arbitrium est moderari tempora rerum;  
Et nostrum praesens qui moderatur opus:  
Is, LEMNERE, tuum conatum dirigat omnem;  
Humanum arbitrium dirigat ipse Deus.

Ita precabatur  
Zacharias **Koch** /  
Pritzwalcensis,  
Marchiacus.

79. Adr: Petrus Svenonis Lidenius – Aut: Andreas Virginius (Oratio panegyrica, qua examinatur quinta pars, sive cento visionum G. Reichardi: /.../ conscripta, et /.../ die 7. Julij anno 1647. habita in acroaterio synodali acropolis Revaliensis a Petro Svenonis Lidenio, /.../. Dorpati, <1647>: J. Vogel)

SKB, Växjö LB, H (def), EAB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Ad

*Virum*

*Doctrina et Virtute Praestantissimum*

DN. M. PETRUM SVENONIS LIDENIUM,

Scholae Revaliensis Rectorem, et Consist.

Regij Assessorem

*De Visionibus*

G. Reichardi Perorantem.

*Προσφωνήματα.*

*Qvaeris, de Visis RICHARDI quae mea mens sit,  
Et quis Scriptorum, quae divulgavit in orbe*

- Autor sit, Deus an Daemon? Responsio prompta.  
Scriptura est fidei, quae nescit fallere, norma:*
- 5 *Dogmata, huic sanctae quae sunt conformia normae;  
Amplector totus; reprobato, quae dissona, prorsus.  
Ergo, quam jactat RICHARDVS, Visio vana est,  
Et quae dispergit Levipes, sunt dogmata falsa;  
Quippe Sacrosancto disconvenientia Verbo:*
- 10 *Id quod LIDENIVS demonstrat voce sonora,  
Et Scripto egregio, quod de fallacibus istis  
RICHARDI Visis in lucem protulit ipse.  
Gratulor hinc tibi, vir Praestans virtute, precorque  
Numinis in laudem vergat labor ille sacratus,*
- 15 *Indeque tu capias caelestis praemia vitae.*

Ex sincero cordis affectu fudit  
Andreas Virginius, SS. Theol. D.  
et Profess. in Regia Academia, quae est  
Dorpati in Livonia, primarius, ejus-  
demque p.t. RECTOR.

80. Petrus Svenonis Lidenius – Aut: Ericus A. Holstenius (cf. 79)

SKB, Växjö LB, H (def), EAB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

- Mens mea praeteriti repetit dum temporis acta;  
Colligit en retro lapsos quae gesta per annos.  
Abogiae meminit quanto fervore colebas  
Musas, ardenti sitiens ibi pectore lympham.
- 5 *Aoniam, Fautor LIDENI Clare Magister.  
Assidue siquidem Clariis vigilare Camoenis,  
Et studiis multas insomnes fallere noctes  
Svevisti: Patriae quo tandem commodus esses.  
Sedulus hausisti Divini Oracula verbi;*
- 10 *Lingvarum mustum, Sophiae laticesque bibisti.  
Hinc prodit mentis, pulchri ingenijque politus  
Foetus, LIDENI, quo dogmata summa Jehovahae  
Asseris: et calamo docto nova praelia Sectae  
Diluis et sopis, Scripturae lumine nixus.*
- 15 *Perge pie posthac, quo te rapit Enthea virtus;  
Communi Patriae scriptis rata commoda mitte.  
Sic laus florebit tua; fama sydera tanges,  
Egrediisque ausis sies super aethera notus.*

Τῆς Εὐνοίας χάριν Ταῦτα ἀσμένως προσέθηκε  
M. Ericus A. Holstenius,  
SS. Theol. Stud.

81. Petrus Svenonis Lidenius – Aut: Gudmundus Lidenius (cf. 79)

SKB, Växjö LB, H (def), EAB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Hoc Pietas seculo<sup>19</sup> ferme intermortua res est:  
Haeresis, ac error, surguntque pericula tetra!  
Ipse quidem crepero Pietatem jactitat ore,*

<sup>19</sup> *Seclo* pro *saeculo* edd metri causa

5 *Et velut e rostris virtutem Curio laudat:  
Turpibus ast ausis Christi sacra jura prophanat.  
Hocce tuis scriptis ostendis, Frater amande,  
Perge docere Pios; Reprobosque tacere, jube tu.  
Sic astri instar eris fulgens post fata dierum.*

Fratris honorandi vigiliis applaudere  
voluit  
Gudmundus Lidenius.

82. Petrus Svenonis Lidenius – Aut: Georgius G. Gezelius (cf. 79)

SKB, Växjö LB, H (def), EAB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*O RICHARD Vates, quae te dementia coepit?  
Lumen quis mentis fascinat, oro, tuae?  
Spiritus an verus? minime; tu falleris altum:  
Spiritus e Larvis noscitur ille suis.*

5 *Plurima, sit, videas: audis tamen ipse maligne,  
Dum sequeris ductum πνεύματος horribilis!  
Id Docti sacro monstrant e fonte salutis,  
Qui vero veri stillat ab ore Dei.  
Id Clarus Praesul JHERINGIVS, atque Magister  
10 STOLTERFOTH scripto dexteriore probant.  
Et jam Reichardi fallax opus, arte Magistri  
Clara LIDENII nunc cadit, atque ruit.  
O RICHARD Vates, fallax o spiritus ille!  
Qui clare e Larvis noscitur ipse suis.*

Georgius G. Gezelius,  
Westman.

83. Adr: Laurentius Torstani Loohm – Aut: Laurentius Ludenius (Naeniae in /.../ obitum ac abitum /.../ Laurentii Torstani Loohm, Smolandia Sveci, LL. Stud. /.../ Torstani Laurentii, praepositi et pastoris in Rydåholm, etc. filij /.../ qui die 23. April. /.../ an. 1647. apud /.../ Gamalielelem Bergh, pastorem in Laiß /.../ obdormivisset: ejusdem exuviae ibidem in templo D. Georgio quondam sacro, quod est paroecia Laiß, die 14. Novemb. /.../ terrae sunt concreditae, ab amicis et condolentibus conscriptae. Dorpati Livonorum, 1647: J. Vogel) Linköping LB (def), [Tartu UB (def)]

EPICEDIUM

LAURENTIUS LOOHM:

*Per Anag.*

VENIS: TOLLAR HUMO.

CHRISTE, VENIS; Mundo cum Venerit ultimus aevi  
Terminus; et vivus mox Homo TOLLAR HUMO.  
Salve, chare Parens; chari Salvete Propinqui!  
CHRISTE, VENIS: vivus mox Homo TOLLAR HUMO.

Quod ultimo honori sc.  
Laurentius Ludenius, Ph. et J. U. D.  
Prof. Ord.

84. Adr: Laurentius Torstani Loohm – Aut: Johannes Erici Stregnensis cfs. 83)

Linköping LB (def), [Tartu UB (def)]  
EPICEDIUM

*Sic, bene qui CHRISTO vixit; qui pulcrius aevum*

*In CHRISTI vixit cognitione sui;  
Ipsa illi lucrum Mors est. Exordia vitae  
Candida quandoquidem non pereuntis habet.  
5 Corpus terra fovet: Mens est exclusa periclis,<sup>20</sup>  
Et gaudet vultu colloquioque Dei.*

Condolentiae contestandae ergo haec  
scripsit  
M. Johannes Erici Stregnensis,  
Mathemat. Super. et Physic. Prof. P.  
ac p.t. Facultatis Phil.  
DECANUS.

85. Adr: Laurentius Torstani Loohm – Aut: Gamaliel Bergius (cf. 83)

Linköping LB (def), [Tartu UB (def)]  
EPICEDIUM

Hei! prima rapitur Juvenis florente Juventa;  
Vivere qui longo tempore dignus erat.  
Hei rapitur! rapitur LAURENTIUS impiger ille,  
Artes qui coluit nocte dieque pias;  
5 Jura suae scivit Patriae, didicitque Statuta  
Quae descripta pie Justinianus habet.  
Jura dedit Romana brevi compacta libello,  
Quo nullum in terris clarius extat opus.  
His studuit, voluitque piis sic prospera ferre  
10 Comoda per Patriam, et tollere iniqua Soli.  
Ast dejecta *Soli*, Suspecta, hei! tesqua maligni,  
Linqvit **LOHM** nobis, culmina et alta tenet.  
Plantatus Domini justusque virebit in aede  
Nobilis ut Palma aut alma Cedrus Libani.  
15 Siste Parens lachrymas, tu Frater siste dolorem,  
Nae **LOHM** vivit, ovat laetus in axe Poli.

Ita Sympatriotae abitum collac.  
Gamaliel Bergius,  
Pastor in **Lais**.

86. Adr: Laurentius Torstani Loohm – Aut: Laurentius Mellerus (cf. 83)

Linköping LB (def), [Tartu UB (def)]  
EPICEDIUM

Sub persona pie Defuncti.

*En nunc felicem me terque quaterque beatum,  
Cui datur optato coelica castra sequi!  
In Domino vivo, vivo novus incola coeli,  
Semper in Angelico laetus ovoque Choro.  
5 Sic neglecta hujus relinquo gaudia vitae,  
Aeternae felix gaudia pacis amo.  
Chare Pater, Salve! Salve pia Mater! Amici  
Salvete! Et tristes mittite lachrymulas.  
Grata superveniet, quae non sperabitur, hora;  
10 Ut patria in vera conveniamus erit.*

<sup>20</sup> *periclis pro periculis* Li metri causa

Moestissimus scripsit  
Laurentius Mellerus,  
Smoland.

87. Adr: Laurentius Torstani Loohm – Aut: Faderus Uraelius (cf. 83)

Linköping LB (def), [Tartu UB (def)]  
EPICEDIUM

Plinius, omne sibi tempus periisse, canebat,  
Quod pulcris Studiis non tribuisset agens.  
Ille profanus erat, tu Christi servus haberi,  
Cum fugitas Studium, scriptaque nulla legis.  
5 Ludis, et indulges genio, sed labitur aetas,  
Sed fugit, atque adeo non reditura perit.  
Hora quidem mortis nostrae certissima: sed tu  
Quid dignum tanta transitione facis?  
Omnem sub coelo carnem, foenum esse, memento;  
10 Quam quaevis citius defluit herba, cadis.  
Mox oreris, mox contereris! velut umbra citata  
Hoc breve ver vitae devolat omne tuae.  
Et tu promittis tibi tempora longa fruendi  
Partis! heu bullae fidere quaeso cave.

Debitae condolentiae ergo scripsit  
Faderus Uraelius,  
Phil. Cand.

88. Adr: Laurentius Torstani Loohm – Aut: Carolus Jonae Ruberus (cf. 83)

Linköping LB (def), [Tartu UB (def)]  
EPICEDIUM

*En! cui nulla quies! cui nulla remissio certa  
Hic fuit! in tumultis huic modo parta quies.  
Spiritus in coelis aeternum cernit et audit  
Effigiem vivi Progeniemque Dei.  
5 Quisquis eris, pulcro officio superesse labora,  
Inde quiescendi tempora fata dabunt.*

Syncerae condolentiae nomine de-  
properabat  
Carolus Jonae Ruberus.

89. Adr: Laurentius Torstani Loohm – Aut: Andreas Flojerus (cf. 83)

Linköping LB (def), [Tartu UB (def)]  
EPICEDIUM

Quid quaeso in terris nobis mage flebile? in ipso  
Ecquis plus nobis sustinet orbe mali?  
Nascimur en miseri in fletu tristisque labore!  
Progredimur planctu! vita dolore cadit!  
5 Exemplum poscis, qui haec credere signiter audes?  
Hoc **LOHM** testatur, quem sine mente vides.  
Hunc vidit flentem populosa Smalandia quondam,  
Edocuit Pallas Dogmata pulcra rei.  
Perrexit: Novus Hospes adest ubi Dorptica Musa,

10 Et Christo et Sophiae pectora tota sacrat.  
 Mentem Musarum dum pulcris artibus ornat,  
 Vitai Lachesis vivida fila secat!  
 Sic homo, qui tenero fruitur jam flore Juventae,  
 Corruit; et subito marcida membra jacent.  
 15 Marcida membra jacent: ast Mens ad sidera tendit,  
 Et fruitur summi commoditate boni.  
 Ergo absit luctus; lucri plus attulit hora  
 Mortis, quam vitae prima. Beatus ovo!

Debitae condolentiae Ergo app.  
 Andreas Flojerus,  
 Smol. Svec.

90. Adr: Laurentius Torstani Loohm – Aut: Johannes Nicolai Uraeus (cf. 83)

Linköping LB (def), [Tartu UB (def)]  
 EPICIDIUM

*Soepius heu quondam divae doluere Camoenae,  
 Consimile o fatum, quale hoc nunc cernimus ipsi.  
 Scilicet, ille perit properata morte peremptus,  
 Qui pulcros Majorum ausus et coepta Parentum  
 5 Illustrare, novo Virtutis coeperat usu.  
 O flos virtutis, LOHMI dilecte, Valebis,  
 Et flos in coelis, LOHMI dilecte, virebis.*

Pauca haec condolentiae ergo adjicere  
 voluit  
 Johannes Nicolai Uraeus,  
 Smol. Svecus.

91. Adr: Laurentius Torstani Loohm – Aut: Petrus Angelstadius (cf. 83)

Linköping LB (def), [Tartu UB (def)]  
 EPICIDIUM

O Mors crudelis! nimium properando trucidas  
 Gnatum; Luctus adest, tristitiaeque premunt!  
 Siste Pater gemitus, tristesque repone querelas;  
 Extinctum lacrymis non revocare potes.  
 5 Sed potius, Sanctae Triadi sacra Jubila Psalle  
 Quod gnatus superi Vivit in axe Poli.

Condolenti animo adjecit  
 Petrus Angelstadius,  
 Smol. Svecus.

92. Adr: Laurentius Torstani Loohm – Aut: Anonymus<sup>21</sup> (cf. 83)

Linköping LB (def), [Tartu UB (def)]  
 EPICIDIUM

Omnis homo foelix, est terque quaterque beatus  
 De quo narratur, *mortuus ille bene*.  
 Hinc te felicem, multum charissime Frater,  
 Aestimo, tu CHRISTO mortuus. Usque Bene est.

<sup>21</sup> Li : finis deest.

*Aliud.*

Was ist daß ich euch seh/ Herr Pastor also klagen?  
 Ah daß jhr saget weh/ kan kein Trübniß verjagen.  
 Es ist ewr lieber Sohn/ durch Tods Gewalt vnd Macht/  
 Aus dieses Lebens Schein/ zum Vaterland gebracht.  
 5 Wann kompt der letzte Tag/ vnd dieses Lebens Ende;  
 Alsdann derselbe Tag/ der Himmels Frewd behende  
 Ein fröhlich Anfang ist: Und ist nach diesem Lebn  
 Alsbald ein frommer Christ/ Christo dem HErrn ergebn.  
 Durch einen sehlgem Todt/ der Frömmen alles Elend/  
 10 Auch aller Christen Noth/ kompt zu ein gewünschtes End.  
 Vom Ubel sind sie loß/ erfreyet von aller Quaal/  
 Sißen in Shristi Schoß/ sich frewen ohne Zahl.  
 Warumb wolt jhr denn klagn: Verborgen ja euch nicht ist/  
 Sondern wisset zu sagn/ daß bey unserm HErrn Christ/  
 15 Ewer... <sup>22</sup>

93. Adr: Maria et Henricus Matthiae – Aut: Laurentius Ludenius (Ultimo honori /.../ Mariae et Henrici Matthiae; /.../ Salomonis Matthiae, in Regia Academia Gustaviana Adolphina quae Dorpati /.../ est /.../ SS. Th. professoris ordinarij; et ad D. Johannis pastoris /.../ filiolar, filioli que /.../ quorum illa cum die 26. Februar. /.../ anno 1642. esset nata; die 16. Novemb. /.../ anno 1647. /.../ denata; hic vero cum die 2. Augusti, /.../ anno 1643. esset natus; die 17. Novembris, /.../ anno 1647. /.../ denatus; uterque /.../ sepulchro, quod est in aede D. Johanni quondam sacra, /.../ die 21. Nov. an. 1647 /.../ illatus, consecrabant Musae Embecciades. Dorpati, <1647>: J. Vogelius) UUB, [Tartu UB]

EPICEDIUM

*Clare Vir, Eusebiae et Christi Divine Sacerdos,*  
*Et Verbi clangens Buccina plena DEI:*  
 Quis desiderij poterit modus esse MARIAE,  
 Tam charae Sobolis, tam Sobolisque piae?

MARIA MATTHIAE:  
 Per Anag.  
 ERAT MIHI AMATA.

5 Praebemus dubias dictis nos talibus aures,  
     *Proles ERAT Beata,*  
     *ERAT MIHIque AMATA!*  
 Sic, ERAT! At postquam Baptismatis amne renata,  
     CHRISTO ERAT o Soboles deliciosa DEO!  
 10 Omnibus auditur CHRISTI vox candida terris,  
     *Proles ERAT renata*  
     *ERAT MIHIque AMATA.*  
 CHRISTI vincit AMor. *Mortales* quosque volebas,  
     Vult *immortales* continuasse Dies.  
 15 Hinc alio mentes, alio diviseris aures:  
     *Proles tibi quae AMATA,*  
     *Proles ERAT Renata:*

<sup>22</sup> Li : textus abrumpitur.

*Vivit Beata; Civis  
Coeli superni, Civis!*

HEINRICUS MATTHIAE:  
*Per Anag.*  
IN HAEC, JHESU, MITTAR!

20 Ut primum accipio, JHESU, Undam Auramque salubrem,  
Coelestis spondes Gaudia tota Poli.  
Hinc donec vivo, Coelestia cogito: *Votum*,  
MITTAR IN HAEC, JHESU, Gaudia, *semper erat*.  
Orantem exaudis tu me, Dulcissime JHESU;  
25 Te Duce, IN HAEC coeli Gaudia MITTOR ego.  
*Adeste, Sancti Coelites;*  
*A JHESU IN HAEC MIssus meo*  
*Coelestis Aulae Gaudia;*  
*Vivo Beatus unice*  
30 *Civis Supernae Curiae.*  
*Salve, Pater! Mater, pia,*  
*Salve! usque Fratres optimi,*  
*Salvete: Vos Sororculae,*  
*Salvete: et usque Plaudite!*  
35 *Vivo Beatus unice*  
*A JHESU IN HAEC MIssus meo*  
*Coelestis Aulae gaudia!*

Piae Consolationis Nomine inter  
lac. appon.  
Laurentius Ludenius, Ph. et J.U.D.  
Poët. Cor. Profess. Ordin.

94. Adr: Maria et Henricus Matthiae – Aut: Martinus von Beerensamb (cf. 93) UUB, [Tartu UB]  
EPICEDIUM

Siccine MATTHIAE SOBOLEM, properantia fata  
Te rapiunt? Clari Spes GENITORIS eras!  
An tua non potuit primo sub flore Juventus  
Parcarum soevas detinuisse manus?  
5 Heu coecae fati mentes, praecordia dura!  
Heu nimis ad properam Numina prona necem!  
Quando erit ut nostrae sortis miseratio tangat?  
Vestra mage an saxo pectora dura rudi?  
Fallor; an hoc frustra toties speramus, et illis  
10 Judicij ratio semper iniqua manet?  
Quid magis hoc etenim facto crudele putandum est,  
Cum furor hic soleat plus nocuisse Bonis!  
Quam non Progenies spem fecerat esse Parenti?  
Heu cito spes nimis est reddita vana PATRI!  
15 Talis erat formae decor, et virtutis imago;  
Qualis puniceae noscitur esse Rosae.  
Nunc tamen o periit! periit simul omnis, amica  
Quae modo Spes MATRIS, Spes GENITORIS erat!

Ceu flos mane viret, sed sero vespere langvet;  
 20 Sic qui mane viret, vespere langvet homo.  
 Heu mihi! tam fragile est, quicquid spectatur in orbe,  
 Tam fragili nati conditione sumus!

**Die Verstorbene reden jhre Eltern an.**

**JHr Eltern/ trauret nicht/ vnd trucknet ewre Wangen;  
 Ah lasset doch nicht mehr die Häupter nieder hangen;  
 25 Weil wir den schnöden Welt vnd aller schweren Pein  
 Nach GOTTES weisen Rath numehr entrissen seyn:  
 Betrachtet doch die Welt/ vnd zwar zu diesen Zeiten;  
 Wie muß man immerfort derselben widerstreiten:  
 Wie reizet manchen doch die Welt mit jhrer Lust/  
 30 Vnd wem ist jhr Betrug nicht mehr als viel bewust?  
 Wie weiß sich mancher Mensch zu neigen vnd zu bücken  
 Vnd wie muß mancher doch sich lassen vnterdrücken:  
 Wie redet mancher wol ein angenehmes Wort/  
 Vnd ist doch sein Gemüth/ vnd Hertz am andern Ort.  
 35 Wer wil doch etwas nun zu GOTTES Ehren geben/  
 Vnd wer bekümmert sich mit Fleiß darnach zu streben  
 Damit sein Christenthumb durch Liebe mit der That  
 Erscheine fort vnd fort/ wer achtet solchen Rath.  
 Wer wolte länger doch in dieser Welt verbleiben/  
 40 Vnd seine Lebens Zeit in Furcht vnd Angst vertreiben?  
 Darumb wer Zeitig stirbt/ weiß gar von keiner Noth/  
 Vnd ist noch vnbefleckt vom schwartzen Sünden Koth.  
 Auch vns hat GOTT der HERR im Fröling vnser Jahren  
 Aus dieser Welt gerafft/ wir haben nicht erfahren  
 45 Den falschen Sinn der Welt: Wir schawen GOTTES Sohn/  
 Vnd stehen immerdar für seinen högsten Thron.  
 Darumb so höret auff vom Weinen vnd von Klagen/  
 Jhr werdet ja nicht gar verzweifeln vnd verzagen;  
 Denn Vns ist mehr als wol/ vnd sind in stoltzen Ruh:  
 50 Ey nun so schlieffet doch die Thränen Quellen zu.**

Martinus von Beerensamb

95. Adr: Maria et Henricus Matthiae – Aut: Martinus Röselerus (cf. 93)

UUB, [Tartu UB]  
 EPICEDIUM

Mors non Mors, sed Mortis larva.

Fata jubent aliam Fati conscendere scalam;  
 Tristia praecipiti dum Nex ventura volatu  
 MATTHIAE Fati funera bina facit.

**Bedenck O Sünder-Kind/ nim dieses vest zu Herten/  
 5 daß solchen schwerer Schlag dem Vater bringe Schmerzen;  
 Schmerzen die nicht leicht zu tragen/**

weil sein doppel Liebes-Pfand/  
 durch den böser Blätter-Plagen/  
 wird gelegt ins schwartze Sand.

## 2.

10 Betrachte diesen Fall! was mag die Mutter dencken  
 weil vier in einem Hauß vmb Leibes Schwachheit kräncken?  
 Kräncken/ so da Kräncken bringet:  
 Sinne recht/ vnd nim wol ab  
 daß es durch die Glieder dringet/  
 15 Mache matt den Leben-Stab.

## 3.

Vnd hastu nun bedacht der der Kranckheit schwere Leiden?  
 Laß diß auch zu Gemüth; besinne zwoer scheiden/  
 vnd was sonst der Vater sage:  
 Wie der krancken Mutter sey;  
 20 der vmb dieser Kinder Plage  
 schweret schweres Zähren-Bley.

## 4.

Doch muß des Vaters Hertz des Höchsten Rath vnd Willen  
 mit einen sanfften Muth/ vnd letzten Gang verfüllen:  
 Vnd die Mutter hat die Wangen/  
 25 vmb die heiße Kinder-Pein/  
 lauter Zähren-voll behangen:  
 GOTT wird beyder Tröster seyn.

Chronodist.

HenrICVs, CVrsVs, CoeLestI CInCtVs In aXe  
 FVgIt: MARIAE, fata repLeta sVbIt.<sup>23</sup>

Inter suspiria et lacrimas posuit  
 Martinus Röselerus,  
 LL. Stud.

96. Adr: Maria et Henricus Matthiae – Aut: Thomas Kühn (cf. 93)

UUB, [Tartu UB]  
 EPICIDIUM

MARIA MATTHIADA:  
 Ἀναγράμ.  
 TAM MIHI ARA DATA.

Pie Defuncta loquitur.

*Incola sum Coeli, stellata Palatia cerno,  
 Aetherei capio pulchra theatra poli.  
 Hic mihi templa Deum penetralia coelica donant  
 TAM sacra, quam frondens ARA MIHI DATA stat.*  
 5 *Cum Superis summum veneror de pectore Jhovam<sup>24</sup>,*

<sup>23</sup> Chronodistichon annum 1647 exhibens

<sup>24</sup> U : Jhovam pro Jehovam metri causa.

*Coelicolum Regi carmina grata fero.*

*HAINRICUS MATTHIAE:*

*Ἀναγράμ.*

*AH! CHRISTI VIA MEANT.*

*Cur nimio Thalamum Cerebri moerore repletis?*

*Cur solitae lacrymis spargitis ossa necis?*

*AH! Soror et Frater, CHRISTI vestigia quaerunt,*

10 *Hacce VIA CHRISTI taliter ambo MEANT.*

*Ambrosia et semper pascuntur Nectare Divum;*

*Aeternum CHRISTO juba laeto canunt.*

Chronodistichon.

*SIC pVerI hI! (SoboLes CLarorVM sangVIne nata)*

*In CoeLIs VIVVnt: fVLCra sVperna tenent.<sup>25</sup>*

Moesto calamo pangebatur  
Thomas Kühn / Riga.-Liv.  
SS. Theol. Stud.

97. Adr: Ericus Jeremiae Munthelius – Aut: Ericus A. Holstenius (Disputatio theologica in caput decimum octavum a v. 15. usque ad finem, D. evangelistae Iohannis selectissimas notas exhibens, in Regia Academia Dorpatensi publicae censurae subijcietur, praeside Andrea Virginio, /.../ respondente Erico Jeremiae Munthelio, /.../ die 15. Januar. anni 1647. Dorpati Livonorum, 1647: J. Vogelius)

SKB, Växjö LB, BRAN, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Doctiss. Dn. Respondenti

*Σύγχαρμα.*

Macte, rem magnam Patriota dulcis

Nunc agis; CHRISTUM referendo, nostra

Stante pro culpa subiisse poenas

Mortis acerbas.

5 Arrium et Bezam, reliquasque sectas,

Sensa scripturae male detegentes

Te refutare aggredieris subinde,

Praeside Claro.

Perge Muntheli bene sic rigare

10 Os Juventutis Pietatis undis;

Luceas tandem velut inter astra

Luna minora.

Εὐνοίας χάριν τοῦτο ὑπόγραψεν  
Ericus A. Holstenius.

98. Adr: Ericus Jeremiae Munthelius – Aut: Andreas Hellenius (cf. 97)

SKB, Växjö LB, BRAN, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Dum sacrum volvis, MUNTHELI Docte, volumen,*

*Vtile, jucundum; ast magnum studium tibi coeptas.*

*Volvere quod studium semperque revolvere perge,*

<sup>25</sup> Chronodistichon annum 1647 exhibens

*Sic benedictio stet Summi et maneat tibi semper.*

In honorem  
Doctissimi Domini Respondentis,  
sympatriotae et amici dilecti  
pauca haec apponere ut  
debutit ita voluit  
Andreas Hellenius,  
Westman.

99. Adr: Ericus Jeremiae Munthelius – Aut: Georgius Gezelius (cf. 97)

SKB, Växjö LB, BRAN, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Gratulor inde tibi, MVNTHELI dulcis amice  
Quod pergas studiis invigilare bonis.  
Ominor hinc laetus, tibi sertam nectet Apollo,  
Et clarum sparget nomen ad astra poli.*

Commensali dilecto ita ad gra-  
tulari voluit  
Georgius Gezelius.

100. Adr: Päder Larsson Örnkloo – Aut: Daniel Danielis Nycopensis (Een liten, dock wälment Bröllops-Önskningh, /.../ När /.../ Päder Larsson Örnkloo till Loop, /.../ Ståthållare i Narfwen och uthi Ingermannelandh, Vthi /.../ Förbundh inträdde Medh /.../ Anna-Maria Stormhat, /.../ Laurentz Erichssons Stormhats, till Nääß och /.../ Commendants och Ståthållares på Nötheburgz Befästning, /.../ Dotter. Hwilken /.../ höls och fyrdes på bemelte /.../ Nötheburgs Slätt den åhr 1647. Dorpt I Lieflandh, 1647:J. Vogel)

UUB, [Tartu UB]

EPITHALAMIUM

PETRUS LAURENTII ÖRNEKLO  
HAEREDITAR. IN LOOP, CASTELLANUS N.  
Ἀναγραμματιζόμενος:  
O NOLI ERRARE! PIUS ES ÖRNKLO / HINC  
SPLENDET TITAN LAETA LAURU.

*Omnibus altithronus Deus extitit omne per aevum  
Arx, clypeus, tutor, Praesidiumque ratum.  
Unde suis tandem post Nubila Jubila praebet,  
Soepius et quae sunt tristia LAETA facit.*

5 *Exemplo nobis, hodiernus sistitur hicce  
Praeclarus Sponsus, pulchrior orbis honos.  
Soepius hic rabida vexatus sorte malorum,  
Sustinuit variis tristia fata modis.*

10 *Verum, dante Deo, praedulcia gaudia crescunt,  
Dum post tristiam, laetitiam assequitur.  
Dat Deus o vitae Sociam, tribuitque fidelem,  
Quam Pietas ornat, Virgineusque Pudor.  
Haec exulta illi svavem fragrabit odorem,  
Haec aevi requiem Pace beante feret.*

15 *Nobilitate vicens, et Gentis Gloria, Sponse,  
Hinc pia segura gaudia mente move.  
Exulta; tristes depelle e corde dolores,  
Symbola laetitiae plurima pande novae.*

20 *Plurima pande novae; Domino gratesque rependens,  
Devotas pura concipe mente preces;*

Quod tibi nunc Sociam dederit, praenobile vitae  
 Fulcrum; Quaeque venit firma columna Domus.  
 Quae colit et Domini nostri sacra Dogmata Christi,  
 Moribus et pulchris undique culta nitet.  
 25 Insuper hanc blando Nuptam complectere amore,  
 Svavisonis dictis basia fige genis.  
 Si variant Humana Vices discrimina: Spera,  
 ERRARE O NOLI! fide sed usque Deo.  
 Quae-te-cunque premunt, Domino committe pericla;<sup>26</sup> is  
 30 Oppressis graviter svave Levamen erit.  
 Fide Deo Deus est, Mortali lege creatos  
 Qui jubet humanas pertolerare vices.  
 Fide Deo, Deus est: Post nubila jubila praebet,  
 Soepius et quae sunt tristia, LAETA facit.  
 35 ES PIUS, O **ÖRNKLO!** HINC SPLENDET post nubila TITAN,  
 ET LAETA LAURU praemia opima refert.  
 O Perfausta dies! Albo signanda lapillo,  
 Qua duo sic socius Corcula jungit amor.  
 Sumite nunc dulces resonantia plectra, Camoenae;  
 40 Blandisonam docto Marte movete chelin.  
 Prodite sacratos alternis motibus Hymnos,  
 Virginea blandum psallite voce melos.  
 Dulce melos, lepidae Charites, hac fingite luce,  
 Da svavi modulus voce, Thalia, tua.  
 45 Convivae, laetique hilaesque attollite frontem,  
 Atque hilari placidum fingite mente jocum.  
 Praestantes Juvenes pulchras deducite Nymphas,  
 Insignes pedibus ducite et arte choros.  
 Sic quia nunc Musae sua plectra canora capessunt  
 50 Atque tuae exultant limina tota Domus;  
 Ipse una grator toto de pectore coeptis,  
 Et mea de voto carmine vota fero.

Votum.

O Trinune Deus, rutili Dominator Olympi,  
 Qui Socio mandas subdere colla jugo:  
 55 Quae conjunxisti, placide precor aspice, corda;  
 Jugiter incensas fac renitere faces.  
 Insidias Sathanae prohibe, technasque repelle;  
 Atque bea multa prosperitate Torum.  
 Sydere da fausto traducant tempora vitae;  
 60 Munere concordem da superesse tuo.  
 Multa Virum volvant, durando et secula vincam;  
 Nestoreos superent transitione dies.  
 Felicem numerent Prolem, serosque Nepotes;  
 Et teneant culti jugera magna soli.  
 65 Hoc precor; hoc toto depromo pectore Votum,

<sup>26</sup> pericla pro pericula U metri causa.

*Christe, meum Votum pondus habere dato.*

Aliud in Lingva Svecica.

O Gudh som vthi Paradijß  
 Adam till hielp och gamman/  
 Tillfogade een Owijnna wijß/  
 70 Evam/ att lefwa samman.  
 Tu som i Cana Galileen/  
 Brudhgum och Brudh till ähra/  
 Wända mon Watn uthi sö tt Wijn/  
 Thet them fast mon beswära.  
 75 Tu som och än Sandfärdeligh/  
 Alt ächta stå nd bewarar/  
 J thenna sidste Wärldzens Tijdh  
 För Sathans falke Snaror.  
 Ther till och lå ffuer rundeligh/  
 80 Kyske och fromma Makar/  
 Som ther i leffue Gudeligh/  
 Ymnogdt i alla Saker.  
 Lät thetta Wärck O HERre Gudh  
 Som i Dagh celebreras/  
 85 Medh thesse tu/ Brudgum och Brudh/  
 Liufigt continuerat.  
 Mechtige Gudh lät them ochså /  
 Må ng å hr leffua tillsamman/  
 Sampt Barn och Blomma Stå da få /  
 90 Sigh till stor lust och gamman.  
 Och när theraß Tijdh kommen ähr/  
 Och Liffuet haar een ända/  
 Och the skole aff thenna Wärlld/  
 Then sidste Reesan lända;  
 95 Så lät them medh Stillheet och Roo/  
 Sachtmodeligh insompna/  
 J tigh HErr Christ medh en starck Troo/  
 Sitt Lijffzlå pp så fullkompna.  
 Och så aff thenne Så rgadaal  
 100 Komma/ frå n allskö ns Fahra/  
 Jn i tin ewigh Frögdasaal/  
 Til tin helg Engla Skara.  
 Ther/ the skole stå in för tin Thron/  
 Haffua Pälmar i Händer  
 105 Thet Himmelske TRISAGION,  
 Siungandes utnam ände.

*ANNO:*

NarVensI CasteLLano nVnC IVngItVr VXor  
ConnVblo stabILI; PraeCLaro est GerMIne nata.<sup>27</sup>

ANNVS.

*Itidem datus in Nob. Dn. SPONSI Nomine.*

A SS. RegIa MaI. <sup>te</sup> SVeCICa NarVIAe ConstI-  
TVtVs CasteLLanVs,  
PetrVs LaVrentII **ÖRNKLOO** / GothVs.<sup>28</sup>

Sic Nobiliss. Dn. Sponso Hospiti suo  
unice honorando,  
In debitae Gratiitudinis, et Honoris perenne  
Documentum, gratulari voluit  
ac debuit  
Daniel Danielis Nycopensis,  
Sudermannia-Svecus.

101. Adr: Päder Larsson Örnkloo – Aut: Petrus Örnkloo (cf. 100)

UUB, [Tartu UB]  
EPITHALAMIUM

*Dvm pia legitimi conscendis foedera lecti,  
Et facie ducis pulchram, Nymphamque venustam  
Moribus: appaludo, Genitor charissime, coeptis:  
Atque tibi tot devoto de pectore fausta  
5 Opto; quot tellus flores nunc pascit amoenos,  
Quot squamis tectosque involvunt aequora pisces.*

Haecce Nobiliss. et Chariss. suo Dn. Patri,  
filiali et devoto Animo appre-  
cabatur  
Petrus **Örnkloo** /  
Nob. Svec.

102. Adr: Päder Larsson Örnkloo – Aut: Bugislaus Örnkloo (cf. 100)

UUB, [Tartu UB]  
EPITHALAMIUM

*Lvx Optata diu! Lux optima! lux et amoena!  
Et cupido semper corde petita mihi:  
Jam tandem prodit niveo fulgore coruscans,  
Omnibus et nobis gaudia vera refert.  
5 Idcirco ex animis totis, Pater optime, laetor;  
Atque opto Thalamis omnia fausta tuis.  
Vive, Pater, longos felix in Nestoris annos;  
Et mihi chara Parens, Vive Valeque diu.*

Quod Nobiliss. et Dilectiss. suis Dn. Paren-  
tibus, Filiali Voto in felix faustumque  
omne vovebat  
Bugislaus **Örnkloo** /  
Nob. Svec.

103. Adr: Axelius et Ericus Axelii Oxenstierna – Aut: Laurentius Ludenius (Inelyta virtus /.../ Axelii Oxenstierna, comitis in Södra Möhre, L. baronis in Kimitho /.../ equitis aurati, regni Sveciae cancellarij et per Germaniam nec non ad exercitus legati atque evangelici foederis ibidem directoris generalis, judicis provincialis Bothniae Occidentalis, etc. A. /.../ Christina, /.../ Svecorum, Gothorum,

<sup>27</sup> Chronostichon annum 1647 exhibens

<sup>28</sup> Chronostichon annum 1647 exhibens

Vandalorumque regina, /.../ die 27. Novembris, anno 1645. /.../ illustritate comitis regni /.../ illustrata: quam, /.../ in Regia Gustaviana Adolphina Academia, quae Dorpati /.../ est /.../ solenni oratione metrica, die 7. Maji, anno 1647. /.../ aeternitati consecrabat Laurentius Ludenius, /.../. <Dorpati>, 1647: J. Vogel) SKB, [Tartu UB]

DEDICATIO

DOMINIS SVIS GRATIOSISSIMIS;  
*Vitam, incolumitatem et felicitatem perpetuam;*

VIRTUS recludens promeritis Polum,  
Intaminatis fulget Honoribus!  
Palmaeque frondes ut recludunt  
Stipite praevaleas onusto;  
5 Sic pervicaci nescia cedere  
VIRTUS RENIDET lumine latius  
OXENSTIERNORUM Potentum!  
Ingenij stimuli coruscant.

Ita devota mente precatus,  
Humiliter  
Dat. D. D.  
Laurentius Ludenius, D. et P.

104. Adr: Ericus Axelii Oxenstierna – Aut: Magnus Samuelis Asp (Ostrogothiae historia; quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ die 18. Augusti, anno 1647. oratione solenni, publice /.../ enarrabat Magnus Samuelis Asp, /.../. Dorpati, 1647: J. Vogelius)

SKB, UUB, Växjö LB, H, [Tartu UB]  
DEDICATIO

*Illustrissimo et Magnificentissimo*  
*Heroi ac Domino,*  
DN. ERICO AXELII  
**OXENSTI ERNA;**  
Comiti Moreae Australis; Libero Baroni de **Ki-**  
**mitho/** Domino in **Fyholmen** et **Tydhö ö n;** etc. Gubernatori Revaliensi inclyto; Domino suo  
Gratiosissimo:  
Vitam, incolumitatem, et felicitatem perpetuam P.

Regni Celse Comes, Celsae rata Gloria Gentis,  
Celse Gubernator, Pieridumque Decus;  
*Vt fulgens Adamas Gemmarum gratia fulget;*  
*Bosphorus utque micans lumina clara fovet:*  
5 *Stemmata sic Clarus, sic Celso nomine Clarus,*  
*Illustres Proceres Celsior inter ovas.*  
*Submissis animis hoc ipsum agnoscimus omnes;*  
*Nosque animi hinc humilis debita signa damus.*  
*Ipse etiam ut vere tester mea subdita corda,*  
10 *Historiam Patriae, doque dicoque, meae.*  
*Hanc, o Celse Heros, Clementi suscipe Vultu;*  
*Vive deo, et Regno, Pierioque Choro.*

Humiliter et Reverenter  
Dat. D. D.  
Magnus Samuelis **Asp** /  
Ostrogothus.

105. Adr: Philipp Scheiding – Aut: Rector Magnificus, Decani, et Professores caeteri (SS. Reg. Maj. regnorumque Sveciae ac Gothiae Senatoris /.../ Philippi a Scheiding, domini in Kegel et Jackowald, etc. Regij Supremi judicij, quod est Dorpati Livonorum, praesidis, et Regiae ibidem Academiae Gustaviana Adolphinae cancellarij /.../ in /.../ die 9. Julij anno 1646. /.../ contingentem obitum; tumuloque, qui Revaliae est in aede D. Olao quondam sacra, 16. Februarij, anno 1647. /.../ illati. Dorpati, 1647: J. Vogel)

UUB, [Tartu UB]

EPICEDIUM

Delicium Generis; Decus immortale Camoenae;  
 Regum amor; Arctoi Regni Gravitate Senator;  
 Militiaeque Togaeque Decus; Celsissimus Heros  
 Illustre in terris SCHEIDINGIUS ille PHILIPPUS  
 5 Aevum egit; Pia Mors Anima seduxit et artus!  
 Dives Avis, et utroque Jovem de sanguine ducens  
 Hic, ubi magnanimis contermina Svecia Gothis,  
 Hic et ubi Alsatiam felix Franconia jungit  
 Hessorum populis; simul et Thuringia Misnae  
 10 Saxonas ac longo sociat discrimine Marchos.  
 Felix illa dies, quae vitae tradidit auras  
 Et dedit innumeras tenera intra pectora dotes.  
 Abluit agnatas maculas Baptismatis amne,  
 Et Sancto primae implentur Spiramine mentes.  
 15 Nobilis ipse Parens puerili in corde latentes  
 Suscitatur igniculos Virtutum et semina Veri.  
 Addit Cultores animi morumque Magistros,  
 Qui docilem efficiunt, Sophiae Eunomiaequae capacem.  
 Hinc, ubi praecipuis fulget Germania Musis,  
 20 Excellens Academiae novus Hospes ad oras  
 Accessit; docili se pectore tota Vetustas  
 Condidit, et coepit Studiis extendere Nomen;  
 Et mens sublimis supra Genus exiit ipsum.  
 Hinc Pietas jussit Germano excedere Mundo,  
 25 Et Patriae fines et Avita revisere tecta.  
 Dives Avis, Regum Soboles, Celsissimus Heros  
 Rex CAROLUS NONUS, Sveonum Sol, Phosphorus orbis,  
 Miratur genij dotes, et commoda mentis.  
 Mox inter Proceres Camerae delectus Achates.  
 30 Consiliis felix Auctor SCHEIDINGIUS audit.  
 Mox, ubi Rex revocat vires Reginae victu,  
 Regales mensis epulas Cereremque ministrat.  
 Pulcior hinc meritis, Aulae Marschallus habetur,  
 Egregios ponit Mores Juvenique Senique.  
 35 Mox sancte sanctis Patriae de rebus habendis  
 Consiliis Socium Illustrem Rex jungit; et alti  
 Esse Senatorem Regni jubet; Auspice CHRISTO,  
 Consulere in medium, et fessis succurrere rebus.  
 Per populos jubet hinc det candida jura togatos,  
 40 Dives ubi longo surgit Dalkarlia tractu,  
 Plurima dona vomens, dum Gens tellure revulsa  
 Sollicitis fodiens rimatur collibus aera.  
 Magnus erat magnis Arctois Regibus ortus

Inclytus Heroum Sangvis GUSTAVUS ADOLPHUS,  
 45 Diis genitus, sanctis invictus viribus Heros;  
 Hic ubi Narva jacet, prope consilientibus undis,  
 Surgit et affinis bellacibus Ingria Moschis;  
 Imperiis mandat sanctis ut compleat orbem,  
 Utque Gubernator multa vi muniat oras.  
 50 Dux MICHAEL, Dux FOEDOREVVITZ, pugnacibus armis  
 Multorum domitor populorum, maximus Heros  
 Moscovia immensa immensis qua funditur agris,  
 Arma movet; longe clarus fulgentibus armis.  
 Assilit ast frustra defensae moenibus urbis  
 55 Narvae, quae pulcris armis defensa quievit.  
 Insigni duplices retinens ditione Polonos  
 Ille SIGISMUNDUS Rex Illustrissimus ortu;  
 Sangvinea inde manu crepitantia concutit arma  
 Et circum Narvam flammam ad sidera volvit.  
 60 Ipse Gubernator clarus victricibus armis  
 Induitur multis fatalia millibus arma;  
 Et subito sectis, quamvis acerrima surgant  
 Praelia, Militibus; plena tamen ipse phalange,  
 Et paucis felix delecto Milite, vincit.  
 65 Inde Gubernator celsus datur, Auspice Christo,  
 Littore qua facto celebris Revalia fertur,  
 Et jacet inclusi moles celebranda Theatri;  
 Reddit jura foro, componit Legibus orbem,  
 Et placidas Gentes, aeterna in foedera mittit.  
 70 Ardua progenies Regum GUSTAVUS ADOLPHUS,  
 Jura, Magistratusque, Senatoresque legebat  
 Ad latice Embecciaes, ubi nobile Dorptum;<sup>29</sup>  
 Sancti Judicij Praeses SCHEIDINGIUS audit;  
 Atque sacros Juris ritus; et sancta Statuta  
 75 Instituit; firmare jubet sub Judice causas,  
 Et regere usque hominum per Legum pondera mentes.  
 Ille Pater Patriae, Divus GUSTAVUS ADOLPHUS,  
 Et tanti Herois Soboles, Regina Serena  
 CHRISTINA, aeternum fulcrum Pietatis et Aequi.  
 80 Has Embecciaes Clementi mente Camoenas  
 Dum vult pace regi, haud turbari a turbine mundi.  
 Magnificus meritis cito Cancellarius audit;  
 CHRISTO Dante, Academiacus SCHEIDINGIUS Hercules.<sup>30</sup>  
 Ingenui vero ut flammam suscepit Amoris;  
 85 Nobilis, atque piis Virtutibus aurea Virgo  
 DELVVIGIANA, pios non aversata Hymenaeos,  
 Composuit placidos sociali foedere sensus.  
 Officiosus Amor! Connubia cognita laeta  
 Ex sese egregiam prolem videre renatam  
 90 MARGARIDEN: mores ornant, atque aurea virtus.

<sup>29</sup> *Dorptum* pro *Dorpatum* U metri causa

<sup>30</sup> *Hercles* pro *Hercules* U metri causa

- Vidit; et ut vidit NICLAUS Nobilis Heros  
 A **Sternschilt**; pulcrum traxit per membra calorem,  
 Et socio placidus bene cepit amore teneri.  
 Verum primus amor properata morte fefellit!
- 95 DELVVIGIANA dati metam pervenit ad aevi.  
 Fata jubent aliud vacuis inducere tedis  
 Connubium, atque novos vitae socialis honores.  
 Nobilis egregiis animis CATHARINULA **Luhern**  
 Floruit insignis primaevo flore Juventae,
- 100 Viderat! Et Vultus castaeque Modestia vitae  
 Imbuit, ut socium biberet per corda favorem.  
 Junguntur placidis Thalamis et foedere certo;  
 Nobilior Proles quater, exoptata Propago,  
 Nascitur, atque exit pulcras in luminis auras.
- 105 Sed tristes subeunt morbi, et festina Senectus  
 Accelerat vitae properata novissima Fata.  
 Ille memor CHRISTI, confessus crimina sanctam  
 Hostiam, et auratum Calicem, tua pignora, CHRISTE,  
 Acceptat. Corpus complexa tuumque Cruorem.
- 110 Interea placidae inceptat succedere morti;  
 Atque Anima, aetherei laeta intrat gaudia coeli.  
 Sanctas relliquias, venerandique ossa Parentis  
 Condidimus terrae, moestasque sacravimus aras!  
 Sic retro cedit, de terra quod fuit ante,
- 115 In terras et quod missum est ex aetheris arce,  
 Id rursus coeli stellantia Templa receptant.  
 Interea tristes liceat deponere curas,  
 Dum Pater Illustris Genetrici in Prole renatus;  
 Aeternum SALVE, Conjux Generosa, VALEque:
- 120 Aeternum SALVE, Proles Generosa, VALEque.  
 Stet fortuna Domus: longissima floreat aetas;  
 Et Nati Natorum, et Avi numerentur Avorum.

In Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati  
 Livonorum est ad Embeccam, condolentiam contestantes s.i.  
 RECTOR Magnificus, DECANI,  
 et Professores caeteri.

106. Adr: Georgius Simonis – Aut: Laurentius Ludenius (Disputatio theologica in caput decimum nonum a v. 25 usque ad finem, D. evangelistae Iohannis selectissimas notas exhibens, in Regia Academia Dorpatensi publicae censurae subjicietur, praeside Andrea Virginio, /.../ respondente Georgio Simonis, /.../ die < > anni 1647. Dorpati Livonorum, 1647:J. Vogelius) BRAN, [Tartu UB] GRATULATIO

*Doctiss. et Humaniss. Dn. Respondenti.*

GEORGIUS SIMONIS:

*Per Anag.*

IMO, E SIGNIS SURGO.

Do SIGNa insignis genij; IMO, Praeside Christo,  
 Ut liquet E SIGNIS, SURGO beatus Homo.

In felix auspiciam app.  
 Laurentius Ludenius, Ph. et J.U.D.  
 Profess. Ord.

107. Adr: Georgius Simonis – Aut: Mauritius Lemnerus (cf. 107)

BRAN, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Laudo tuam mentem, laudo mentisque laborem,  
Mentis dum excultae promere signa paras.  
Macte hac dexteritate! via invia, semita facta est,  
Te duce, quis mens est scandere ad astra Poli.*  
5 *Ergo rumpe moram, cuncta impugnata logismis  
Expugna, sola hac itur ad astra via.*

Paucula haec amico affectu inse-  
rere volebat  
Mauritius Lemnerus,  
SS. Theol. Stud.

108. Adr: Georgius Simonis – Aut: Jonas Ficinus (cf. 107)

BRAN, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Extremae sunt charae animo praestantis Amici  
Voces: atque solent decedere Pectore raro.  
Ast tua, Salvator, qui nostros morte reatus  
Hic tollis; potius meminisse novissima verba*  
5 *Nos decuit: laqueo quia Mortis solvere possunt.  
Gratulor inde tibi, svavissime Amice Georgi,  
Voces qui pulchre extremas Christi resolutas  
Defendis, docte contorta sophismata solvens.  
Perge, et non poterit te facti paenituisse.*

Ita animitus Congrat.  
voluit  
Jonas Ficinus,  
Jun. Liv.

109. Adr: Abrahamus Georgii Thauvonius – Aut: Ericus Holstenius (Disputatio mathematica inauguralis de astronomia generali; quam /.../ in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae est Dorpati /.../ sub praesidio /.../ Johannis Erici Stregnensis, /.../ pro summo in philosophia gradu consequendo, /.../ disputationis censurae submittebat Abrahamus Georgii Thauvonius, /.../ ad diem 15. Octob. anni /.../ 1647. /.../. Dorpati Livonorum, <1647>: J. Vogelius) SKB, UUB, H, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Praestantissimo atque Doctiss. Juveni  
DN. ABRAHAMO G. THAUVONIO  
Philos. Candidato digniss. Amico suo integerrimo,  
docte pro Laurea Magisteriali disserenti*

ABRAHAMUS GEORGII THAUVONIUS:  
*Ἀνάγκη.*  
MAGNA VIRO VIRTUS; AGE OVABIS.<sup>31</sup>

*O minor! Omnipotens Deus omnia tota secundet:  
VIRTUS MAGNA VIRO, Mens inculpata sodali  
THAUVONIO nostro fuit: Hoc AGE semper OVABIS.*

Ita lubens gratulabatur  
Ericus Holstenius,  
Westmannia Svecus  
Phil. Cand.

<sup>31</sup> Anagramma non recte constructum.

110. Adr: Abrahamus Georgii Thauvonius – Aut: Andreas Bergh (cf. 110) SKB, UUB, H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Curva placent aliis contorto vimine rastra,  
 THAUVONIO videas astra placere pio.  
 Quando Solum Studio sunt qui rimantur agresti,  
 Rimatur rutili sidera pulchra poli.  
 5 Hinc inter doctos virtutibus eminet ille,  
 Ceu coelique micant astra, micare studet.  
 Sic vixisse iuvat! sic, sic iuvat ire per hortos,  
 Carpendo Phoebi Pieridumque bona!  
 Sic vixisse iuvat! sic, sic iuvat ardua dextre  
 10 Musarum docta ferre Trophaea manu.

Syncero Syncere cecinit  
 Andreas **Bergh**.

111. Adr: Faderus Arvidi Uraelius – Aut: Carolus Ruberus (Disputatio physica de coelo; quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ sub praesidio /.../ Johannis Erici Stregnensis, /.../ pro magisterij gradu eiusdemque privilegii reportandis, publico examini submittebat Faderus Arvidi Uraelius, /.../ ad diem 8. Octob. anno 1647. /.../. Dorpati Livonorum, 1647: J. Vogelius)

SKB, H, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Ad Praestantissimum atque Doctissimum*  
 Dn. FADERUM URAELIUM,  
 Pro Laurea Philosophica con-  
 sequenda disputantem.

*Herculeo res pulchra venit quaesita labore;  
 Herculeo res pulchra Viros exornat honore.  
 Sic qui naturam summi scrutaris Olympi,  
 Quam famam tribuit tibi Musa, perennis habetur.*

Sic animitus vovebat  
 Carolus Ruberus,  
 Smolandia Svecus.

112. Adr: Faderus Arvidi Uraelius – Aut: Ericus Michaëlis (cf. 112)

SKB, H, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Non una ver hirundo, totus grex facit;  
 Sic actio operis unica haud habitum parit;  
 Sed comparari debet ille pluribus.  
 Te, disputando de Coelo, praebes Virum:  
 5 Sic, sic eundum honoris ad brabeum erit.*

Ericus Michaëlis,  
 Revalia-Livon.

113. Adr: Faderus Arvidi Uraelius – Aut: Petrus Nicolai Virgander (cf. 112)

SKB, H, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Aonias Vigili servasti pectore Musas,  
 Quae Artibus ingenuis te docuere probe.  
 Hae tibi frondentem pergunt innectere laurum,  
 Occipitique tuo sarta parare pie.  
 5 Hinc animis voveo; Deus ut, qui cuncta gubernat,  
 Haec bona felici tramite coepta beet.*

Honoris et fausti ominis E.  
 Scripsit  
 Petrus Nicolai Virgander,  
 Smol-Svec.

114. Adr: Viris /.../ dn. Burggravio regio, dnn. Consulibus, dn. Syndico, dnn. Praetoribus, dn. Senatoribus – Aut: Thomas Kühn (De anima oratio: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ die 15. Sept. anno 1647. publice /.../ enarrabat Thomas Kühn, /.../ Dorpati Livonorum, <1647>: J. Vogel) (s. 73-76)<sup>32</sup> SKB, Växjö LB, LAB, Tartu UB

DEDICATIO

Omnibus et singulis in Inclyta Rigensium  
 Repub. Patribus inclytis;  
*Salutem et Prosperitatem p.p.*

Magnifici sancto Patriae molimine Patres,  
 Urbis Delicium, jugis et Orbis Honos:  
*Dante Deo, Vobis dat Plebs, et Curia laudem,  
 Quod sit consilium Pacis amoena quies;*  
 5 *Vtque potest, pleno Vos deveneratur honore,  
 Contestans Animi debita signa pij.*  
*Ipse quoque ut demissae Animae pia nomina tester;  
 Magnifici, hac vobis dedico scripta, Patres.*  
*Submissa accipite o nostri conamina cultus,*  
 10 *Haec devoti Animi candida signa mei.*  
*Sic Mecoenates, felici vivite; Muis*  
*Vivite: Perpetuus continuetur Honor.*

Dnn. Mecoenatibus, Promotoribus, atque Evergetis suis  
 Submissi animi cultu, Reverentia et Studio  
 unice devenerandis  
 Reverenter et officiose  
 Dat, D. D.  
 Thomas Kühn.

## 1648

1. Adr: Andreas Arvidi <Stregnensis> – Aut: Johannes Erici Stregnensis (Disputatio medica de natura et constitutione medicinae; quam, /.../ in /.../ Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ ad diem 2. Septembris anno 1648. /.../ sub praesidio /.../ Sebastiani Wirdig, /.../ publice ventilandam exhibet Andreas Arvidi Stregnensis. Dorpati Livonorum, 1648: J. Vogelius)

H, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Praestantissimo atque Doctissimo Juveni,*  
 DN. ANDREAE ARVIDI STREGNENSI,  
 de Natura Medicinae disputanti.

*Sic posthac succos, sic auxiliantia morbis,  
 Gramina multa, manu dexteriore leges:  
 Quid faciat somnos, quid hiantia vulnera claudat,  
 ANDREA, addisces candidiore via:*

<sup>32</sup> Dedicatio in exemplari LAB D5/8 et Tartu UB.

5 *Quae ferro cohibenda lues, quae cedat et herbis,*  
*Aegrotis docta dixeris arte Viris.*  
*Intima Naturae, gravium rata pondera rerum,*  
*Et referes doctus quicquid Apollo refert.*  
*Mitia miscebis crebro medicamina dextra,*  
10 *Ad medicam veniet cum male sanus opem.*  
*Sit faustum et felix: venias Podalirius aequus;*  
*Dante DEo, auxilium succus et herba feret.*

Sic Amice gratulatur  
M. Johannes Erici Stregnensis,  
Mathemat. Super. et Physic.  
Profess. Publ.

2. ADR: Andreas Arvidi <Stregnensis> – AUT: Andreas Erici Fridzbergius (cf. 1) H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

ANDREAS ARVIDI STREGNENSIS,  
*n. negato, per 'Avαγρ.*  
ARTE ARDENS, INDE SIS GRAVIS.

ARTE Machaonia o ARDENS *Stregnensis Amice,*  
Principibus gratus plurima dona dabis.  
Semper SIS ARDENS, Artem cognoscito coeptam,  
SIS INDE effulgens dexteritate GRAVIS.

Dn. Respondenti  
moris et Honoris ergo  
posuit  
Andreas Erici Fridzbergius.

3. ADR: Andreas Arvidi <Stregnensis> – AUT: Laurentius Ludenius (Disputatio ethica de fortitudine, quam /.../ in Regia Acad. Gustaviana, quae Dorpati /.../ est, sub praesidio /.../ Johannis Georgii Gezelii, /.../ pro summo in philosophia gradu consequendo, publicae /.../ censurae ad diem 27. Octob. /.../ submittit Andreas Arvidi Stregnensis. Dorpati Livonorum, 1648: J. Vogelius)

UUB, SKB, H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Praestantissimo et Humanissimo*  
Dn. Respondenti.  
ANDREAS ARVIDI STREGNENSIS:  
*Per Anag.*  
INARDENS VADAS TERRIS INGENS!

Et Sophiae et sanctae studio Pietatis INARDENS  
His VADAS TERRIS INGENS! Tua Nomina crescant.

Quod animitus app.  
Laurentius Ludenius, Ph. et J.U.D.  
Poët. Cor. Profess. Ord.

4. ADR: Andreas Arvidi <Stregnensis> – AUT: Andreas Fridzbergius (cf. 3) UUB, SKB, H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

ANDREAS ARVIDI STREGNENSIS:  
*Per Anag. dup.*  
ARDVA SIS REGNIN' ARS? EN TENDIS;

*NONN' ARTE AD SIDERA VERGIS? SIS.*<sup>33</sup>

*STREGNENSIS, nostri Decus immortale Lycei,  
Salve! Honor et virtus, Gloria teque beat.  
ARDVA SIS REGNIN' ARS*<sup>34</sup>? *EN nunc TENDIS ad astra?  
Nominis et splendor fulget in orbe tui.*  
5 *NONN' et Divina laetus jam AD SIDERA VERGIS  
ARTE? imo? felix omine, fausta precor.  
I nunc, quo tua te mentis vocat ardua virtus,  
Nobile iter virtus pandet ubique tibi.*

Amico suo dilectissimo ex animo sic  
gratulari voluit  
Andreas Fridzbergius,  
W-Gothus.

5. Adr: Andreas Arvidi <Stregnensis> – Aut: Petrus P. Byringius (cf. 3) UUB, SKB, H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

ANDREAS ARVIDI:

*Per Anagr.*

DAS ARDUA INIRE.

DAS documenta viris, Valeat quid Gloria belli;  
Fortibus et factis, quid Virtus praestet in armis.  
Fortis, non pavidus; non Segnis mollia tractans;  
Sed virtute potens erit, et formidinis expers.  
5 ARDUA INIRE refers: sed praebent ARDUA Laurum.  
Certandum est, nulli veniunt sine Marte triumphi,  
Et palmam pretium Solus, qui currit, habebit.  
ANDREA, Aoniae pars non postrema catervae;  
Dum Martis scripto sic DAS documenta polito;  
10 Artis honore clues, probat Exitus acta futurus.  
Namque brevi fiet, frondescent tempora Lauro.

Quod ipsum ex animo gratulabundus  
adjecit  
Petrus P. Byringius.

6. Adr: Andreas Arvidi <Stregnensis> – Aut: Ericus Kolmodinus (cf. 3) UUB, SKB, H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*ANDREAS ARVIDI STREGNENSIS:*

*Per Anagr.*

*ARDUA RES! IN REGNIS DAT ENSIS.*

IN REGNIS, ENSIS RES ARDUA rite videtur:  
DETur ut optata pace deinde frui.  
IN REGNIS ENSEM Lex ARDUA et ipsa requirit:  
Tollitur hinc nocuum, perstat et innocuum.  
5 Omnia disponit Lex, Ensis, Fortior Heros:  
Talia sint genio complacitura tuo.

A teneris Amico haec dedit

<sup>33</sup> S : anagramma duplex non recte constructum.

<sup>34</sup> Ars pro ARS edd

Ericus Kolmodinus,  
Sudermannus.

7. Adr: Magnus Samuelis Asp – Aut: Petrus Caroli Udenius (Disputatio I. de natura politicae, et subjecto ejus republica in genere. Quam /.../ in Regia Academia Gustaviana publico /.../ examini subjiciunt /.../ Joachimus Crellius, /.../ et Magnus Asp, /.../ ad d. 16. Augusti /.../. Dorpati Livonorum, 1648: J. Vogelius) UUB (def), [Tartu UB]

GRATULATIO

*Praestantissimo atque Literatissimo Respondenti*  
DN. MAGNO SAMUELIS **ASP**  
OstroGotho; Amico suo syncere  
dilecto.

*Ubera Castalidum sugis, Doctissime Magne, et  
Dulci Pieridum Nectare labra rigas.  
Vertere tu pergis sacrata volumina Phoebi;  
Atque σοφῶν flores nocte dieque legis;*  
5 *Ad lychnum vigilas, concinnas publica scripta:  
Defendis docta dexteritate theses.*  
*Hinc scandis cathedram; solerti et acumine mentis,  
Crellio honorato Praeside, solvis opus.*  
*Felix perge Rei communis noscere causas;*  
10 *Et tibi per Musas fama perennis erit.*

Ex animo ita gratulari debuit  
ac voluit  
M. Petrus Caroli Udenius,  
W-Gothus, SS. Theol. Stud.

8. Adr: Magnus Samuelis Asp – Aut: Laurentius Ludenius (De Spiritu sancto oratio metrica: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ secundis feriis Pentecostes, anno 1648. publice /.../ memoriter enarrabat Magnus Samuelis Asp, /.../. Dorpati Livonorum, <1648>: J. Vogelius) SKB, UUB, Växjö LB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Humaniss. et Doctiss. Dn. Peroranti.*  
MAGNUS ASPE:  
*Per Anag.*  
MUSA, PANGES!

*MUSA, pios PANGES Versus! Flatusque Sacrati  
Splendeat aeterna laude perennis Honor!*

Quod app.  
Laurentius Ludenius, Ph. et J.U.D.  
Profess. Ord.

9. Adr: Magnus Samuelis Asp – Aut: Andreas Arvidi <Stregnensis> (cf. 8)<sup>35</sup>

SKB, UUB, Växjö LB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

MAGNUS SAMUELIS **ASP**/  
OSTROGOTHUS:  
*h in t verso,*

<sup>35</sup> Editio sine anagrammate in: Matti Sainio 'Andreas Arvidi als Student in Tartu.' – In: *Acta Universitatis Stockholmiensis. Studia Baltica Stockholmiensia 11 1993. Die schwedische Ostseeprovinzen Estland und Livland im 16.-18. Jahrhundert.* Stockholm, 1993, p. 279.

*Per 'Avαγγ.*  
O, LOTVS GVSTV MAGNA EST!  
REM SAPIS!<sup>36</sup>

Quot Capita en dantur, tot sunt et Sensus iisdem:  
Juris ei Studium, Mi Medicina placet.  
Artibus Eusebiae MAGNA o Mysteria, MAGNE,  
Eloqueris genij candidioris ope!  
5 *Flamine de Sancto* discurrere; MAGNA suāvi  
O LOTUS GUSTU EST! REM SAPIS ipse tuam.  
Honoris et Amoris E. apposuit  
Andreas Arvidi Stregnensis.

10. Adr: Jonas Bringander – Aut: Laurentius Ludenius (De servis oratio juridica: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati Livonorum est /.../ die 15. Martij anno 1648. publice /.../ memoriter enarrabat Jonas Nicolai Bringander, /.../. Dorpati Livonorum, 1648: J. Vogelius)  
Växjö LB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Doctiss. et Ornatiss. Dn. Peroranti.*  
JONAS NICOLAI BRINGANDER:  
*Per Anag.*  
IN BONO! IN RE DIGNA, ALACRIS!

IN BONO o esto ALACRIS! CHRISTO Duce, o esto Camoenis  
IN RE DIGNA ALACRIS! Sic labor ille Beat.

In felix ausp. ap.  
Laurentius Ludenius, Ph. et J.U.D.  
Prof. Ord.

11. Adr: Christina – Aut: Laurentius Ludenius (In Regia Gustaviana Adolphina Academia, quae Dorpati Livonorum est ad Embeccam, Volumen I Orationum, /.../ A nobili et studiosa juventute, moderatore Laurentio Ludenio, Ph. et Poët. Cor. Professore Juris, oratoriae et poëseos, publice et solenniter habitatum. Dorpati Livonorum, 1648: J. Vogelius)

Stockholm KB  
(Sv. Saml.  
Före 1700  
Litt. Nylat.  
Tal. Univ.  
F 1700  
2558)  
DEDICATIO

*Serenissimae et Potentissimae Principi*  
*ac Dominae,*  
DN.  
CHRISTINAE,  
Dei Gratia, Svecorum, Gotho-  
rum, Vandalorumque Reginae, et Principi Hae-  
reditariae; Magnae Principi Finlandiae;  
Duci Esthoniae et Careliae; Domi-  
nae Ingriae, etc.  
*Victrici, Piae, Felici, Augustae, etc.*

<sup>36</sup> Anagramma non recte constructum

Vitam, Incolumitatem et Felicitatem  
p.p.

Arctoo REGINA Throno Solioque Serena  
CHRISTINA; Ante Jovem progenerata Decus:  
*Majestate Dei concluditur omne, quod usquam est,  
Qua sine nil rerum stare, vel esse potest:*  
5 *Hujus decurrens, REGINA, ad munia; Eidem  
Majestate haeres proxima, sancta Χάρις.*

CHRISTINA  
REGINA SVECIAE:  
*Per Anagr.*  
CHARIS  
IN REGNA SVECIAE.

*Dante deo, Tu Sancta Charis: tenet Eusebie alma  
Primas, hinc Arete, hinc pulcrior Eutychie.*  
Sancta Charis, Charitum Regni trahis impete robur:  
10 *Mista Animo Charitos cum Jove Svada Dea.*  
*Respice, Sancta Charis, ceu permulcere Senatium  
Coeperit Eloquio Dorptica Musa pio.*  
*Vive, Charis Regni; regni Charis inclyta, cresce:*  
IN REGNA IT SVEONum *deliciosa CHARIS!*  
15 *Tecum habitant Charites; tecum Facundia sancti  
Blanda Ministra sagi, blanda Ministro Togae.*

12. Adr: Christina – Aut: Laurentius Ludenius (De pace discursus juris publici: qui, /.../ in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ die 23. Augusti, anno 1648. publice /.../ disputationis exercitio committebatur, praeside Laurentio Ludenio, /.../ respondente Petro Petri Byringio, /.../. Dorpati Livonorum, 1648: J. Vogelius)<sup>37</sup> SKB, UUB, H, [Tartu UB]

DEDICATIO

*Serenissimae et Potentissimae Principi ac Dominae,  
DN. CHRISTINAE,  
Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Reginae,  
ac Principi Haereditariae; Magnae Principi Finlandiae; Duci  
Esthoniae, et Careliae; Dominae Ingriae, etc.  
Victrici, Piae, Felici, Augustae, etc.  
Dominae et Reginae suae Clementissimae,  
Vitam, Incolumitatem et Felicitatem p.p.*

*PATRIS, et aequaevae SOBOLIS, FLATUSque SACRATI  
Annuat aeterna PACE perennis AMOR!  
Est DEA dicta CHARIS, Natura mitis et Annis,  
PACIS amans, Orbis deliciosa CHARIS.*

CHRISTINA,  
REGINA SVECIAE:  
Per Anagram.

<sup>37</sup> Cf. 1636.14; 164.21; 1644.4; 1645.13; 1646.4; 1647.17; 1648.13; 1649.16 et 1641.11; 1642.19-20.

CHARIS  
IN REGNA IT SVECIAE.

5 *Sancta CHARIS, CHRISTINA CHARIS; Regina Serena,  
IN REGNA IT SVEONUM deveneranda CHARIS.  
Est Pater Illustris Phoenix in Prole renatus:  
AdVeniat, Videat, Vincat amica CHARIS!*

SS. Reg. Maj. Symbolum:  
CHRISTUS REFUGIUM SUORUM.

10 *Nam RE conFUGIUM REGINAE CHRISTUS; ab alto  
Irradians, complens Regia Corda, VIGOR.  
CHRISTUS, Numen, Honos, nitidissima Vita SUORUM:  
Arctoi Regni Lux, Sator, alma Salus!  
Salve, Sancta CHARIS! Salve, REGINA: JEHOVA  
Auspice, Pax dulci Sancta Quiete fluat!*  
15 *Tota pacato rediviva Coelo  
Terra conjungi; superaeque sanctum  
Velle nobiscum jam Animae videntur  
Foedus inire!*

SS. Reg. Majestati  
Ita humilimis votis app.  
Subjectissimus et Humilimus  
LAURENTIUS LUDENIUS,  
D. et Profess.

13. Adr: Christina – Aut: Laurentius Ludenius (Immortalitas D. herois /.../ Gustavi Adolphi /.../ Svecorum, Gothorum, Vandalorumque regis; /.../ parentatione anniversaria, in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ die 6. Novembris anno 1648. aeternitati consecrata a Laurentio Ludenio, Ph. et J.U.D. poët. cor. Professore juris, oratoriae et poëseos. Dorpati, 1648: J. Vogel)<sup>38</sup> SKB, UUB, Växjö LB, LAB, EAB, [Tartu UB]

DEDICATIO

*Serenissimae et Potentissimae Principi  
DN. CHRISTINAE,  
Dei Gratia, Svecorum, Gothorum, Vandalorumque  
Reginae, ac Principi Haereditariae; Magnae Principi  
Finlandiae; Duci Esthoniae et Careliae; Dominae Ingriae; etc.  
Victrici, Piae, Felici, Augustae, etc.  
Vitam, Incolumitatem et Felicitatem p.p.*

*PATRIS, et aequaevae SOBOLIS, FLATUSque SACRATI  
Annuat aeterna PACE perennis AMOR!  
Est DEA dicta CHARIS, Natura mitis et Annis,  
PACIS amans, Orbis deliciosa CHARIS.*

CHRISTINA,  
REGINA SVECIAE:  
*Per Anagr.*

<sup>38</sup> Idem 1636.14; 1643.21; 1644.4; 1645.13; 1646.4; 1647.17; 1649.16; cum variatione 1648.12; cf. 1641.11; 1642.19-20.

CHARIS  
IN REGNA IT SVECIAE.

- 5 *Sancta CHARIS, CHRISTINA CHARIS; Regina Serena  
IN REGNA IT SVEONUM deveneranda CHARIS.  
Est Pater Illustris Phoenix in Prole renatus:  
AdVeniat, Videat, Vincat amica CHARIS!*

SS. Reg. Maj. Symbolum:  
CHRISTUS REFUGIUM SUORUM.

- 10 *Nam RE conFUGIUM REGINAE CHRISTUS: ab alto  
Irradians, complens Regia Corda, VIGOR.  
CHRISTUS, Numen, Honos, nitidissima Vita SUORUM:  
Arctoi Regni Lux, Sator, alma Salus!  
Salve, Sancta CHARIS! Salve, REGINA! IEHOVA  
Auspice, sis regni deliciosa CHARIS.*

Dominae et Reginae suae Clementissimae,  
Humilime.

14. Adr: Daniel Svenonis Frymolinus – Aut: Faderus Uraelius (Aestatis deliciae: quas, /.../ in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ oratione solenni, die 9. Junij, anno 1648. publice /.../ enarrabat Daniel Sven. Frymolinus, /.../. Dorpati Livonorum, <1648>: J. Vogelius)

SKB, Växjö, LAB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Doctiss. et Humaniss.*  
Dn. Peroranti.

*Jucundam Aestatis naturam, dicere clare  
Dum tu conaris, commoda multa feres.  
Fama superstes erit. Ceu pergis, pergito pulcre,  
Commoda grata feres, grata brabea feres.*

In felix omen appos.  
M. Faderus Uraelius,  
Smol. Svecus.

15. Adr: Daniel Svenonis Frymolinus – Aut: Jonas Nicolai Bringander (cf. 14)

SKB, Växjö, LAB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

- Laetare, Eusebiae Soboles! Jovis orta cerebro  
Exulta Pallas! Levonum vos plaudite Musae,  
Et clangore pio laquearia tangite coeli!  
Gloria in excelsis sit CHRISTO. Psallite CHRISTO,*
- 5 *Et modo successus successibus addite dextre!  
Suscipit ecce suis Musas amplexibus AESTAS,  
Acclinatque oculis calidissima sidera nostris.  
O igitur Musae, vobis haec festa parantur:  
Pierides, vestro lux haec sacratur honori;*
- 10 *Aestas non fuerit semper componite nidos.  
Optima Piëridum Soboles, dilecte Sodalis,  
Remigio rationis, opus lustrare labores.  
Et tibi amica dabunt laetantes oscula Musae!*

*Sis felix: laeta aspiret fortuna labori.*

Quod animitus Dn. Sympatriotae suo appreca-  
batur  
Jonas Nicolai Bringander,  
Smalandia Svecus,  
LL. Stud.

16. Adr: Daniel Svenonis Frymolinus – Aut: Truillus Tingius (cf. 14) SKB, Växjö, LAB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Mi DANIEL, decus Vrania; Gratissima nostri  
Cura Sodalitij, delictumque meum:  
*Difficile, Aestatis narrare arbitria; quondam*  
*Et Res obscurae cognitionis erat:*  
5 *At jam, Dante Deo, Christo Duce, et Auspice Flatu,*  
*Ardua res, facilis cognitionis erit.*

In felix ausp. sc.  
Truillus Tingius,  
S. Svecus.

17. Adr: Ernestus Gerlachius – Aut: Tholetus Arvikander (In salutiferam passionem Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, oratio sacra: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ ipso die Parasceves, anno 1648. publice /.../ enarrabat Ernestus Gerlachius, /.../. Dorpati, 1648: J. Vogelius) SKB, UUB, H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Doctiss. et Ornatiss. Dn. Peroranti.

*Tempora nunc redeunt Phoebi descripta recursu,*  
*Et media Titan regnat in arce poli.*  
*Convenit hinc, luctus CHRISTI meditemur acerbos;*  
*Crimine pro mundi victima factus obit.*  
5 *Ceu guttis multum pretioso sanguine sudat*  
*CHRISTUS; soeva Cohors intonat ore, neca.*  
*Conspuitur, diris scuticae laceratur habenis:*  
*Et rigidi tribuunt sarta cruenta vepres.*  
*Lancea perterebrat latus; exit Sanguis et unda:*  
10 *Mucro manus transit, mucro pedesque secat.*  
*Sic insons Dominus Divini Numinis iras*  
*Expiat; et fixus stipite fata subit.*  
*Talia cum versas animo transacta fideli;*  
*Ingenio flores candidiore Puer.*  
15 *Perge, ERNESTE, hortor, studiis incumbere dictis,*  
*Talia namque tibi plurima dona ferent.*  
*Omnibus inde tuis charus sine fine Propinquis,*  
*Charus eris Patri, charus erisque Deo.*

Felicioris ominis ergo, ita Discipulo suo per dilecto  
gratulatur  
M. Tholetus Arvikander,  
SS. Theol. Stud.

18. Adr: Ernestus Gerlachius – Aut: Nicolaus Psilander (cf. 17) SKB, UUB, H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

ERNESTUS GERLACHIUS:  
Ἀναγραμματιζόμενος:

## CHRISTE, SURGENS LEVA!

*Mors lapsos terret, gravat et Crimen; sed ab atra  
Morte reSURGENS, Nos, o bone CHRISTE, LEVA!*

App. app.  
Nicolaus Psilander.

19. Adr: Johannes Georgii Gezelius – Aut: Andreas Virginius (J. A. Comenij Janua linguarum reserata aurea: in Graecum idioma, vocabulis et loquendi modis sanctis Dei amanuensibus in N. T. usitatis, fideliter translata: primum privatis exercitiis destinata, jam vero in gratiam Φιλελλήνων, quos Graece scribendi, loquendi ac disputandi desiderium tenet, typis publicis consecrata, opera et vigiliis /.../ Johannis Georgii Gezelii, Heb. et Graecae ling. P.P. Ejusdemque sumptibus. Dorpati Livonorum, 1648: J. Vogel.) SKB, Lund UB, LNB, EAB, [Tartu UB]

GRATULATIO

## ΠΡΟΣΦΩΝΗΣΙΣ

Ad

Facultatis Philosophicae p. t. DECANVM  
spectabilem

*Reverendum et Clarissimum Virum*

Dn. M. JOHANNEM GEORGII GEZELIUM,  
in Regia Academia GVSTAVIANA Hebraeae et Graecae  
Ling. Professorem Ordinarium; SS. Theolog. Adjun-  
ctum; et Proto-Synedrij in Livonia Assessorem;  
Januam Graecae Lingvae edentem.

*Sacrae Scripturae codex idiomate Hebraeo  
Et Graeco tradit dogmata Sancta Dei.  
Quae Veteri Testamento contermina fulgent,  
Hebrais fulgent scripta sacrata notis.*

5 *Divinus Moses orbis cum scriberet ortum,  
Et lapsus primi tristia fata Patris;  
Pro-Evangelij cum Nuncia laeta sonaret,  
Messiaeque sacro diceret ore dies;*

10 *Cumque verenda Dei proferrent sensa Prophetae;  
Hebraeis multum personuere tonis.  
Inde Novo Testamento confinia sancto  
Effulgent Grajis scripta notata sonis.  
E gemino fonte hoc omnes hausere Ministri  
Et Verbi Vates dogmata Sacra Dei.*

15 *Per te, GEZELI, loquitur Studiosa Iuventus  
Graeca et Hebraea: Dehinc Gloria magna tibi.  
Olim Argiva phalanx Grajorum in moenibus ibat;  
Iam nostro per te Graecia in orbe sonat.  
Felix Hebraeo et Grajo sermone triumphas:*

20 *Dulcius ex ipso fonte bibuntur aquae.*

Amoris ac honoris ergo scripta  
ab

ANDREA VIRGINIO, SS. Theol. D.  
et P. Prim. Proto-Synedrij Assessore, nec  
non pro t. Vniversitatis RECTORE.

20. Adr: Johannes Georgii Gezelius – Aut: Laurentius Ludenius (cf. 19)

SKB, Lund UB, LNB, EAB, [Tartu UB]

*Gloria sic Patris, Natiq̄ue, et Flaminis Almi  
 Splendeat, et Grajis clarescat in orbe loquelis!  
 Clare Vir, et Nostri Decus immortale Lycei,  
 GEZELI, Hebraeae et Graecae facundia Lingvae;  
 5 Ut Pater Omnipotens, primi fundamina mundi  
 Seminibus struxit minimis, Hominemque creavit;  
 Terra erat unius labij et sermonis amici.  
 Diluvij immensis sub aquis spatiosa tremendi  
 Ut periit Tellus! Genus et mortale, remotis  
 10 Hinc incepit aquis redituram extendere Gentem;  
 Terra erat unius labij et sermonis amici.  
 Verum ubi terrigenae tentarunt Astra Gigantes,  
 Et congesta manu praeruptis moenia saxis  
 In plano posuere loco, et de marmore turrim,  
 15 Cujus mirata est molem Babylonica Tellus;  
 Desiit unius Labij Terra esse; loquentes  
 Deflectunt varia in varias idiomata voces,  
 Et mutata sonant diversis verba figuris!  
 Hinc Gens cum penitus sua sub juga mitteret Orbem  
 20 Europae, laetaeque Asiae, Lybiaeque calentis;  
 Miscuit una ipsijs nova rerum Nomina Regnis.  
 Japeto Genitore satus, facundus Iavan  
 Graja effert animi motus interprete lingva.  
 In Natis chari vivit facundia Patris;  
 25 Filius Elisa, Aeolibus; Tharsis, nova Tharso,  
 Et Dodonim Rhodiis confert discrimina vocum;  
 A Citthim Macedo discit: Post condit Athenas  
 Palladion, Grajaeque Orbis sonat aemulus urbi.  
 Hinc ubi Pellaeus Juvenis, victricibus armis  
 30 Armeniae tractus adiit; transgressus et Indum  
 Urbem Bucephalam statuit: simul ardua Regna  
 Persidis, ulterius Chaldaeorumque Penates,  
 Aegyptumque suis submisit strenuus armis;  
 Ancipiti Grajum eloquium penetrantius ense  
 35 Incepit totas in terras flectere cursus.  
 Intima Naturae et gravium pia pondera rerum,  
 Et quicquid dociles proponunt Pallados Artes,  
 Et quicquid dignum ingenio sapiente probatur.  
 Ancipiti Grajum eloquium penetrantius ense  
 40 Tradit, et est Graji felix nitor oris amoeni.  
 Quas vel Phyllirides, vel quas Epidaurius herbas  
 Dignoscit: quicquid praesagus novit Apollo;  
 Quicquid et Hippocrates ponit, solersque Machaon;  
 Ancipiti Grajum eloquium penetrantius ense  
 45 Tradit et est Graji felix nitor oris amoeni.  
 Quae Duodenarum Tabularum foedera, sancte  
 Sanctis funderunt Romanum Legibus Orbem.  
 Ancipiti Grajum eloquium penetrantius ense  
 Tradit, et est Graji felix nitor oris amoeni.*

- 50 *Hinc Judaeorum spatioso ut limite fines  
Et sacras Aedes Solymorum Graecia adivit;  
Totus et excepit numerosa laude Senatus;  
Rex Ptolemaeus erat magnae Philadelphus in oris  
Aegypti, cujus sancte Regalibus ausis,*
- 55 *Sancto habitu Graeciae Linguae formata nitescunt  
Biblia, Divini summus Thesaurus Amoris.  
Dives Apostolicus Coelesti Numine coetus,  
Laetior ut laetis conspexit vultibus, altas  
Ire super nubes DOMINUM, tractusque coruscos.*
- 60 *Quae veneranda Novi sanctis Oracula scriptis  
Jam Testamenti in felix opus attulit unum.  
Ancipiti Graecum eloquium penetrantius ense  
Tradit, et est sancte sanctus nitor oris amoeni.  
Soepius ut Mahomet diris se immiscuit armis,*
- 65 *Et Bithynorum crudo certamine fines  
Vicit, et o vicit Constantinopolitanos!  
Ejecta Hesperios transivit commoda tractus,  
Atque per Ausonias habitatur Graeciae terras.  
Audiit Eridanus, Rubicon, celer inde Timavus,  
Tisernus, Tybris, Vulturinus, et Aufidus ingens.*
- 70 *Audiit hinc Araris, Rhodanus, cito Sequana, Mosa;  
Miranturque suas quod Graecia nata per urbes.  
Danubiusque, Lycusque, ingens atque audiit Oenus,  
Et quascunque tenent hinc undas Teutonicae orae*
- 75 *Mirantur, patrium quod Graecia nata per orbem.  
Proxima sideribus tellus Erymanthidos ursae  
Acclivi jacet insignis Livonia tractu;  
Audiit: Eloquium clari Demosthenis una  
Longis optavit toto Quinquatribus ausu.*
- 80 *Audiit aeternae fulcrum Pietatis, et illud  
Dulce jubar terrae, Divus GUSTAVus ADOLPHus,  
Ardua progenies Regum, Celsissimus Heros;  
Imperat, ut veri coelestes Numinis haustus  
Accipiant populi, mentesque in nube jacentes*
- 85 *Sancte illustrentur Divini ad luminis ignes.  
Mox loca dat Populis, ubi CHRISTUM jugiter orent;  
Doctae Palladium erigitur sublime Minervae,  
Atque hic Dorpati surgunt Academica Tempe.  
Invitatus adest Graeco GOTSCHENIUS ore,*
- 90 *Delicium Eusebiae, decus et pia fama Lycei;  
Et, tribuente Deo, Graeco bene tinctor lepore  
Corda creat Juvenum, monitisque et voce Magistra.  
Inclita Progenies GUSTAVI Regis ADOLPHI,  
Aeterni Soboles Herois Regia; sancta*
- 95 *Heroina; Decus Patriae CHRISTINA; Serena  
Arctoo Regina throno, solioque verenda;  
Clementi scripto SALOMONEM, alta Arte Magistrum,  
MATTHIADEM invitat fama super aethera notum,  
Ut, tribuente Deo, Graeco bene tinctor lepore*

- 100 *Corda creet Juvenum, monitisque et voce Magistra.  
Hinc, tribuente Deo, nostraque jubente Serena  
Regina, CHRISTINA, alto solio usque colenda,  
Clare Vir, et nostri Decus immortale Lycei,  
Rite vocatus ades, Grajo quo tincta lepore*
- 105 *Corda crees Juvenum, monitisque et voce Magistra.  
Sublimis Grajae, SALVE, Facundia Lingvae!  
SALVE, Honor, et Grajis Decus Oratoribus ingens!  
Te Doctore, exuta suis nitidissima vinclis<sup>39</sup>  
JANUA roboribus totis tollatur: et altum*
- 110 *Te Doctore, sonent Grajo pia pulpita plausu;  
Usque timete Deum, qui Nato et Flamine Sancto  
Aequaevus, aeternus agit, Monas et Trias una.  
Te Doctore, sonent Graja pia pulpita voce;  
Certa Fides sub Lege Homines sylvestribus antris*
- 115 *Eliciat; sanctum Iustum sectentur et Aeqvum.  
Te Doctore, sonent Graja pia pulpita voce;  
Unde phthisis, vomicae, et pereat Phlegethontica pestis.  
Te Doctore, sonent Graja pia Pulpita voce;  
Quod bene Pythagoras, magni schola quodque Platonis,*
- 120 *Quodque Stagirites, mens et quod celsa Thaletis  
Dixit: et ingenio se condant Graja vetustas.  
Te Doctore, sonent Graja pia pulpita voce;  
Mercurij Soboles, aurae est cui simplicis ignis,  
Et Mens egregias rerum cognoscere causas,*
- 125 *Audiat, et Doctore Paraclito Duce Summo,  
Proficiat, Genij et felicitis acumina sumat.  
Disperiit Macedum tellus! quondam incluta Regna  
Disperiere locis! periit quondam Attica terra!  
Et quae Graja olim, jam Turcia tota vocatur,*
- 130 *Helladis ut vix jam vestigia parva supersint!  
Concedente Deo, Christo Duce, et Auspice Flatu,  
Te Doctore, sonent Grajo pia Pulpita plausu.  
In Levonumque Redux felix habitabitur oris  
Graecia, et innocuas peraget doctissima causas.*
- 135 *Gloria sic Patris, Natique, et Flaminis Almi,  
Splendeat, et Grajis clarescat in orbe loquelis!  
SALVE una felix Grajae Facundia Lingvae,  
Et tua clementi frondescat sidere Laurus,  
Immarcessibilique aeternae frondis honore.*

Devenerando suo Dn. Collegae

Ita animitus vovebat

LAURENTIUS LUDENIUS, Ph. et J.U.D.

Poët. Cor. Professor Juris, Oratoriae  
et Poëseos.

21. Adr: Johannes Georgii Gezelius – Aut: Ericus A. Holstenius (cf. 19)

SKB, Lund UB, LNB, EAB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

<sup>39</sup> *vinclis* pro *vinculis* edd metri causa

GEZELI, Fautor, Graecae Facundia Lingvae;  
 Aonij Splendor, Fama, Decusque chori:  
 To nosti latices Sophiae: Variique recessus,  
 Et Veneres Grajae, sunt bene nota tibi.  
 5 *Inde doces Iuvenes lingvam Demosthenis altam,*  
*Qua voluit nobis dogmata nota Deus.*  
*Inde tot egregios, diuturna cote, politos,*  
*GEZELI, passim mittis in orbe libros.*  
*Inde et Comenium, multum vigilante Camoena,*  
 10 *In Graecum transfers docte idioma, novum.*  
*Commendant multi virtute et voce verendi,*  
*Versibus et celebrant haec tua scripta Viri.*  
 Holstenius Graium Decus Ausius atque Guthraeus:  
*Quos tinxit Graio Musa liquore Viros:*  
 15 *Haec celebratque litans tua Musae, Embecca, iuventus,*  
*Quae cupido doctos hausit amore sonos.*  
*Perge pie posthac magis efflorere per Artes,*  
*Et nova Castalio scripta replere thymo.*  
*Sic Patriae fueris laus Magna: Et splendor in orbe,*  
 20 *Sicut in Arctoo fulgida stella polo.*

Dn. Hospiti ac Mecoenati L. mque congr.  
 M. ERICVS A. HOLSTENIVS.

22. Adr: Johannes Georgii Gezelius – Aut: Georgius G. Gezelius (cf. 19)

SKB, Lund UB, LNB, EAB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Dente Theonino qui rodit singula Momus,*  
*Egregios ausus soepe latere jubet.*  
*Janua Grajo habitu quae nunc vestita nitescit;*  
*Ceu Fratris fecit cura laborque gravis:*  
 5 *Ah! metuens Momi lites! hanc nolle recusam,*  
*Percepi quondam sensibus hisce dolens.*  
*At nunc exulto, Frater celeberrime; Momum*  
*Quod spernas, Clariis dans tua scripta typis.*  
*Hinc dicent alij, quod Proles commoda Phoebi*  
 10 *Et legat Aonij pars studiosa Chori.*  
*Lexicon et Graecum contextit quod labor ingens;*  
*Descriptum ut veniat, dent pia Fata, typis.*  
*Sic tua florebit Laus! Praepete posthuma cursu*  
*Per mundum et niveis fama volabit equis.*

Dn. Fratri ac Nutritio deproperabat  
 Georgius G. Gezelius.

23. Adr: Daniel Danielis Gruuf – Aut: Andreas A. Malmenius (Passio Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi secundum D. evangelistam Matthaem: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ oratione metrica, Postridie Parasceves, an. 1648. publice /.../ enarrabat Daniel Dan. Nycopensis, /.../. Dorpati, <1648>: J. Vogelius)

SKB, Växjö LB, H, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

In Honorem  
 Humanissimi atque Doctissimi  
 DN. DANIELIS NYCOPENSIS, metrice de

## Salvatoris nostri Passione Perorantis.

Eusebiae soboles, Daniel Nycopensis, Amice,  
 Aonij nostri pars o nitidissima coetus:  
 Carmine dulcisono meditaris vulnera Christi  
 Dicere; dignatus quod nostra, simulque Parentum,  
 5 Purpureo Amne sui commissa lavare cruoris,  
 Et liquidas aperire vias ad sydera Coeli.  
 Gratulor inde tuis conatibus: Auspice Christo,  
 Hinc sic optatis pergas insistere coeptis:  
 Et precor Omnipotens Dominus tua coepta secundet,  
 10 Ut portum tangat tua docta Camoena cupitum,  
 Et nostrae Patriae felix habearis Alumnus.

Haecce Amoris ergo apposuit  
 ANDREAS A. MALMENIUS,  
 Sudermannus.

24. Adr: Daniel Danielis Gruuf– Aut: Benedictus O. Vegrelius (cf. 23) SKB, Växjö LB, H, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Sunt duo, quae doctae commendant dona Juventae;  
 Ardor Musarum, scriptaque digna legi.  
 Ardue Musarum, Daniel mi, cultor: utrumque  
 Servas, et studio candidiore foves.*  
 5 *Toto Musarum flagras studiosus amore,  
 Aonio in studio proficis assidue.  
 Et, Duce sanctorum studiorum Flamine Sancto,  
 Scripta adfers Metricis ingeniosa sonis.  
 Perge: Sacrata Trias foveat conamina tota,  
 10 Et curre Musae prosperiore via.*

Populari et Amico fido C. C. C.  
 BENEDICTUS O. VEGRELIUS,  
 Suderman.

25. Adr: Gustav Adolph – Aut: Laurentius Ludenius (Immortalitas D. herois, /.../ Gustavi Adolphi /.../, Svecorum, Gothorum, Vandalorumque regis; /.../ parentatione anniversaria, in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ die 6. Novembris anno 1648. /.../ aeternitati consecrata a Laurentio Ludenio, Ph. et J.U.D. poët. cor., professore juris, oratoriae et poëseos. Dorpati, 1648: J. Vogel)<sup>40</sup>  
 SKB, UUB, Växjö LB, LAB, EAB, [Tartu UB]

DEDICATIO

REX  
 GUSTAVUS  
 ADOLPHUS.

*Per Anagramma;*

REX  
 AUGUSTUS  
 HAS DVPLO.

*SS. Reg. Maj. <sup>tis</sup> Symbolum:*  
 CUM DEO ET VICTRICIBUS ARMIS.

*Gratia, Christe, tua est; Patriae Civemque Patremque*

<sup>40</sup> Idem 1636.25, 1643.46-47, 1644.15, 1645.47, 1646.19, 1647.37, 1649.22.

*Quod gero, res Sancti curo quod Imperij.  
Gratia, Christe, tua est; quod Res Victricibus Armis  
HAS REX AVGVSTVS conduplicando DVPLO.*

5 *Christo Dante, mea Phoenix in prole renatus  
Vivo: Deo Vivat Regia Progenies!*

26. Adr: Eowaldus von Hastfern et Emerentia Veronica von Mengden – Aut: Laurentius Ludenius (Solenni nuptiarum festivitati /.../ Eowaldi von Hastfern, haereditarij in Kostfer, etc. A SS. Reg. Maj.<sup>te</sup> turmae equestrum nobilium in Westro-Gothia constituti signiferi; /.../ die 7. Februarij, anno 1648. Revaliae conjugium contrahentis cum /.../ Emerentia Veronica von Mengden /.../ Engelbrechtii von Mengden, haereditarij in Altenwage, Sara et Lawa; et consiliarij militaris per Livoniam; et Regij Supremi Judicij, quod Dorpati est, vicepraesidis /.../ filia, sponsa: quaevis fausta /.../ precatur Laurentius Ludenius, Ph. et J.U.D. poët. cor. in Regia Academia Gustaviana Adolphina professor juris, oratoriae et poëseos. Dorpati, 1648: J. Vogel) Linköping LB, [Tartu UB]

EPITHALAMIUM

Inclyta Nobilitas, cui pulcra exordia sanctis  
Pandit mansuris aeternum laudibus: illa  
Vere Virgineis Virtutibus aurea Nympha,  
Aevi flore virens EMERENTIA VERONICA, altis  
5 Nobilis A MENGDEN prognata Parentibus; almo  
Dante DEO, charis optantibus atque Propinquis,  
Jungitur egregiis Thalamis, pactisque Hymenaeis.  
Et Genus, et Proavos, et fortia Stemmata jactat,  
Et juncto propior Sangvine Juppiter audit.  
10 Terra antiqua, potens Livonia fortibus armis,  
Altrix bellorum bellatorumque Virorum;  
Horrida quam quoties Riphaeis Terra pruinis,  
Insuper Euxino propior Gens Taurica Ponto,  
Compulit ad bellum, atque in praelia soeva coëgit;  
15 O toties MENGDENiades, Mavortius Heros,  
Agglomerare manum, atque una concurrere telis  
Est visus: Spoliis donec laudatus opimis  
Gauderet Victor raptas avertere praedas.  
Praetereo, atque aliis hinc commemoranda relinquo  
20 Fataque, fortunasque Viri, pugnasque JOHANNIS (Anno 1452.)  
A MENGDEN; numerat quem Virtus, Teutonici inter  
Ordinis Illustres multo Mavorte Magistros:  
Queis ego non Decios celebres, fortesque Metellos  
Praetulerim; non, qui Poenum domuere ferocem,  
25 Scipiadas; Gallisque genus fatale, Camillos.  
Si Genus excutias; Equites ab origine longa  
Egregios per Avos gravium numerantur Avorum  
Nobilitatis Apex, Decus immortale Bonorum,  
Martis et Artis Honos, Pater ENGELBRECHTIUS, Heros  
30 O MENGDENiadum nitidissima pompa Virorum!  
Dives Consiliis, et Honoribus arduus amplis,  
Regius ille audit jam Commissarius, atque  
In medium belli de sumptis consulit armis.  
Ad latices Embecciaes ubi Nobile Dorptum,<sup>41</sup>

<sup>41</sup> *Dorptum pro Dorpatum edd metri causa*

- 35 Regia Judicium fovet indulgentia sanctum;  
 Cui *Vice-delectus-Praeses*, velut Aeacus alter  
 Divinis fundat mansurum legibus Orbem.  
 Adversos felix Hosti defigere nervos,  
 Felix vectus equis, felix Equitumque Magister
- 40 Ipse Paternus *Avus*; gravium Fiducia rerum,  
**Fromholt von Mengden**/ sancti candoris imago.  
 Insignis meritis fuit ENGELBRECHTIUS ille  
**Von Mengden**/ *Proavus*; totos vibrata per Hostes  
 Hastarum quatiens properanti spicula motu.
- 45 Ut propius ventum est, admotaque dextera dextrae,  
 Ipse *Abavus*, claris ERNESTUS honoribus amplus,  
 Ense suo factus calcavit Victor acervos.  
 Inde Patri Genus Heroi *Materna* beatum  
 Addit Nobilitas *Tisenhusana*: deinde
- 50 *Borchia*, *Lohda*, *Uxkelia*, *Tisenhusia*, felix  
*Munchusana* viret, post *Volkersamia* floret,  
 Et multis titulis *Butleria* clara triumphat.  
 Verum totorum quaenam meminisse Camoena  
 Majorum valeat, disponens Stemmata Patris?
- 55 Dives Avis! series *Materni* stemmatis ampla  
 Nobilitatis Honos Genitrix; Pietate coruscans  
 MARGARIS A TAUBEN; ceu Gemmea Gemmula fulgens  
 Templorum cultrix; clara quod stirpe creata  
 Sancta Columbinis animus documenta reponit
- 60 Moribus; et gravium signat Concordia rerum.  
 Hinc *Maternus Avus*, CONRADUS TAUBIUS; armis  
 Insignis, numerans diffusi compita Feudi;  
 Terrestris lectus Judex, Rhadamantus ut alter  
 Dexteriora dedit meritis terrestria jura
- 65 Qua Dorpatensis mittit Districtus habenas.  
*Maternus* claris *Proavus* Virtutibus altum  
 Exaequans Nomen, JOHANNES TAUBIUS; ille  
 Martius assiduo felix certamine Miles,  
 Venerunt quoties audacis praelia pugnae.
- 70 Ipse *Abavus* meritis REINHOLDUS TAUBIUS ingens,  
 Pollutos quoties multo Bellona penates  
 Sangvine perfudit, renovataque miscuit arma.  
*Maternae* una *Aviae* Decus immortale reponit  
 Gentis Nobilitas; ut *Farensbachia*, clara
- 75 *Tisenhausia* de **Rauden**/ de **Tirsen**; et inde  
*Olsenia*, et **Schwartz**hofia Gens, *Rosia* atque propago:  
 Et quae cunctorum valeat meminisse Camoena  
 Majorum, clarae disponens Stemmata Matris.  
 Sic Patre, Matre, et Avis antiqua stirpe creatis,
- 80 Et bene de Patria meritis; ut lucis in auras  
 Nobilis A **Mengdens** EMERENTIA VERONICA, illa  
 Gloria Virginei Coetus prognata: subinde  
 Ardua Virtutum rediere in semina causae.

- Et Flatu Sancto, et liquido de Fonte renata,  
 85 Abluit agnatum Baptismatis amne reatum.  
 Paulatim ut teneris coepit consistere membris;  
 Dulce sacrae primo Pietatis nectar ab aevo  
 Imbibit: accepit coelestes Numinis haustus,  
 Solliciti quando praedulci tincta Parentes  
 90 Corda lepore creant, et voce, et moribus aureis.  
 Vere Virgineis Virtutibus aurea Nympha,  
 Aevi flore virens, natura mitis: et aequae  
 Ore Deae vinxere choros, et Juppiter aequus.  
 Vidit casta Venus, cui vincla<sup>42</sup> Jugalia curae,  
 95 Atque ait; hanc vinclo<sup>43</sup> pergam sociare jugali.  
 Audiit; et casti flammam accepit amoris  
 Aevi vere virens, EOWALDUS Nobilis ille  
 ABS HASTFERN; clari a Proavis vetus Ordinis Haeres.  
 Ad Boream acclivi surgit Livonia tractu,  
 100 Quam quoties, rata Hamaxobij sine sede vagantes,  
 Basternaeque, Getaeque, Sagittiferique Geloni,  
 Invasere gravis vesana per agmina Gentis;  
 O toties mediis in multis millibus ipsi  
 Ductores multo volitarunt Marte decori!  
 105 Ipse etiam clypeis, et bellatoribus ipse  
 Exercetur Equis, crepitantia concutit arma.  
 Ipsa ubi magnanimis contermina Svecia Gothis  
 Jam quando Sonipes depressis pugnat habenis;  
 Ipse inter coedes et magnum Signifer agmen  
 110 Fertur Equo, variisque instigat vocibus Alas.  
 Mars et Phoebus amant; et turba Novena Sororum  
 Diligit; atque oculis ridet facieque Venustas.  
 Audiit ut castae Veneris nitidissima dicta;  
 Illa, velut fomes: refoventque in fomite flammam  
 115 Ingenua attracti per pectora tota caloris.  
 Sancta Virago, pios non aversata Hymenaeos,  
 Virgineam socio componit foedere mentem.  
 Annuit Omnipotens; dilecti optantque Parentes,  
 Jungi connubio stabili, propriamque dicari.  
 120 Dignus Apostolica praefulgens mente Sacerdos,  
 Conjugium, thalamicumque fidem, lectumque jugalem  
 Per connubia pulcra, sacram stipulantur ad Aram.  
 Et supera aspectans coeli convexa precatur;  
 Annuat ipse Pater; Verbum Patris annuat; una  
 125 Annuat Omnipotens amborum Spiritus; Usque  
 Ut Thalamo aspiret felix fortuna jugali,  
 Et Nati Natorum, et Avi numerentur Avorum.  
 Mox domus interior geniali splendida pompa  
 Instruitur, mediisque parant convivia tectis.  
 130 Postquam prima quies epulis; per vota vovendo

<sup>42</sup> *vincla* pro *vincula* edd metri causa

<sup>43</sup> *vinclo* pro *vinculo* edd metri causa

Crateras magnos statuunt, et vina coronant.  
 Votum est; Afferto auxilium DEUS! Omnia firmans  
 Conservato Domum! Laetos servato Parentes!  
 Optatos Animi conjungant semper amores;  
 135 Sint Nati Natorum, et qui nascentur ab illis.  
 Tota Valetudo constet liberrima morbis:  
 Sint gravidae Pecudes, sit pomis utilis arbor,  
 Sit bene pingvis humus, sit fertilis ubere campus,  
 Et renovatus ager plenis canescat arestis.  
 140 O quoties! et quae Sponsus Sponsae ipse locutus!  
 Partem aliquam, Venti, Divum referatis ad aures.

**EMERENTIA VERONICA von Mengden:**

*Per Anag.*

VENI, VENI, CORONA,  
 MENTEM REGENDA!

Fulgida Virginei Coetus, mihi lecta, CORONA;  
 VENI, VENI, CORONA,  
 MENTEM VENI REGENDA.  
 145 Depropera Probitate, Fide, Pietate, CORONAM;  
 Nobilior Generis, Sponsa, CORONA mei:  
*Haerens CORONA sensibus!*  
*Totis CORONA mentibus!*  
 Dixerat! et contra sic Sponso Sponsa locuta est:

**EOVVALDUS von HASTFERN:**

*Per Anag.*

FLOS, OH VADE, NUTU VERNAS!

150 FLOS, O VADE, pio VERNAS, nitidissime, NUTU!  
*Nostrae CORONAE FLOSCULE,*  
*Necte meo capiti CORONAM.*  
 Dixerat: et Sponsae est ita Sponsus dicta secutus;

**EOVVALDUS von HASTFERN:**

*Per Anag.*

FLOS TUUS DEVEHAR; ANNUO.

155 FLOS TUUS aeternis ut DEVEHAR, ANNUO, votis:  
 Sit ver purpureum; laetos praecordia circum  
 Fundat Amor FLOres; placidique, tepentibus umbris  
 Verborum, Zephyri foveant per corda calorem,  
 Cordis amoriferumque bibant violaria fontem.

**EMERENTIA VERONICA  
 von MENGDENS:**

*Per Anag.*

REGE: ADVENI!

## MENTEM VENI CORONANS.

- 160 Dante DEO, CHRISTO DUCE, et Auspice FLAMINE SANCTO,  
 REGE! ADVENI! CORONA,  
 MENTEM VENI CORONANS.  
 Depropera probitate, Fide, Pietate, CORONAM;  
 Sic est Conjugium vitae praenobile fulcrum;  
 Sic sumus inter nos, Auresque Manusque Pedesque,  
 165 Mutua sic duros emollit cura labores  
 Et vitae gemina dulcedine gaudia crescunt.  
 Dixerat: Hinc Proceres, et proximitate Propinqui  
 Votivas plenis partes assensibus implent.  
 Unum et idem votum est: VERNAntem FLOribus ornet  
 170 Alta CORONA comam: Generosis FLOribus illis,  
 Quos neque frigoribus Boreas, nec Sirius urit  
 Aestibus; Aeterno sed Amoris Honore rubentes  
 Fons Pietatis alit, Candoris et educat aura  
*Sit Torus VERNANS Paradisus; Herbas*  
 175 *Amne uti, Prolem foveat; perenni*  
*Vere pubescat; placidique Amoris*  
*Floribus halet.*

27. Adr: Thomas Kühn – Aut: Joachimus Crellius (Disputatio physica de temperamentis, quam /.../ in Regia Academia Gustaviana Livonorum publico /.../ examini submitunt /.../ Joachimus Crellius, /.../ et Thomas Kühn, /.../ ad diem <21.> Octobris /.../. Dorpati Livonorum, 1648: J. Vogelius)

H, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Praestantissimo et Politissimo*  
 Dn. Repondenti  
 De Temperamentis Disputaturo.

- Mixturam Natura parat: Mixtura reponit*  
*Naturam; justa temperieque fovet.*  
*Frigida nam calidis contemperat; humida siccis,*  
*Et quae juncta sibi semina semen habet.*  
 5 *Hinc tibi Temperies humorum nascitur, illam*  
*morum temperies sponte sequatur homo!*  
*Namque ita Temperiem mores, dixere, sequuntur:*  
*Tu modo quod vitij est corrige, mitte, fuge.*  
*KÜHNI doces, facis; et quae disseris, asseris ausus*  
 10 *doctrina ac vita, pectore et ore probas.*  
*Perge, tuis studiis favet aether, et ausa secundat,*  
*En voveo et moneo, perge placere bonis!*

Ita gratulatur  
 Praeses.

28. Adr: Thomas Kühn – Aut: Johannes Creilingius (cf. 27)

H, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Pro Vero bellum, KÜHNI, quod suscipis urge:*  
*AUDACTER pugna, ut Nomen in omen eat!*

Amico suo apposuit  
 Johannes Creilingius.

29. Adr: Thomas Kühn – Aut: Matthaëus Willebrand (cf. 27)

H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Pondera dum rerum libras, caussasque latentes  
Scrutaris, Kūni candide, pondus habes.  
Quaerere Naturae mores, caecosque recessus,  
Optima Naturae semina laudis alit.*

f.  
Matthaëus **Willebrand**.

30. Adr: Bernhardus Svenonis Lohman – Aut: Gustavus Olai (De magistratu politico oratio: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ die 15. Aprilis, publice /.../ enarrabat Bernhardus Svenonis Lohman, /.../. Dorpat Livonorum, 1648: J. Vogelius)

SKB, UUB, Växjö LB, H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Ornatissimo Dn. Peroranti.

*Pvlcras qui novit Divinae Pallados artes,  
Huncce fovet Pallas blandior ipsa suum.  
Hujus, Discipule, es dicti memor, Optime LOHMAN,  
Praesenti ut scripto dexteriore probas.*  
5 *Alta Magistratus depingis munia; pingis  
Qua celsa niteat strenuitate decor.  
Macte nova Virtute veni! sic perge beatus;  
Sic tibi, sicque tuis commoda multa feres.*

Feliciois ominis E. Discipulo suo per-  
dilecto scripsit  
M. Gustavus Olai,  
Wermel.

31. Adr: Petrus Torstani Loohm – Aut: Sveno Andreae (De vita aeterna oratio: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ die 8. Februarij, anno 1648. publice /.../ enarrabat Petrus Torstani Loohm, /.../. Dorpati Livonorum, <1648>: J. Vogelius)

SKB, UUB, Växjö LB, H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Doctissimo et Ornatissimo  
Dn. Peroranti.*

*Credimus hinc vitam post hanc superesse futuram;  
Eque hac, qua tegitur, quisque resurget humo.  
Ecce venit Dominus, dixit justissimus Henoeh,  
Ecce Deus sancta cum legione venit!*  
5 *Et fert iudicium nullis mutabile seclis,<sup>44</sup>  
Et bene dat justis esse, malisque male.  
Christus, venturum se in Majestate verendum,  
Praedicat, Angelico concomitante choro;  
Judicet ut vivos pariter, pariterque sepultos,*  
10 *In quocunque loco vel regione sient.  
Felix, qui vitam post hanc superesse futuram  
Disseris, et scripto dexteriore doces.*

Gratul. app.  
Sveno Andreae,

<sup>44</sup> *seclis pro seculis* edd metri causa

Smol. Svecus.

32. Adr: Petrus Torstani Loohm – Aut: Daniel Flojerus (cf. 31) SKB, UUB, Växjö LB, H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Discurrunt multi, rationis lumine ducti,  
Quae facies Summi constituenda boni.  
Ad cumulos alius decurrit pendulus auri,  
Hisce dari melius non putat ille bonum.*  
5 *Alter honorum avidus; mox alteri amica voluptas,  
Quae nos titillat; sed bovis instar amat.  
Quam longe distent haec cuncta a tramite veri,  
Tu LOHMI, docte sympatriota doces.*  
10 *Tu clare monstras coeli quam florida Tempe,  
Ac ibi quam felix sit sine fine quies.  
Hocce Bonum vere Summum sine lite putandum est,  
Quo tanquam ad metam tendere debet homo.  
Gratulor ergo tibi: conatus laudo, proboque;  
Hocce Bonum simul et ti, precor atque mihi.*

Gratulabundus app.  
Daniel Flojerus,  
Smol. Sve.

33. Adr: Ambernus Haquini Printzius – Aut: Petrus Caroli Undenius (De justitia disputatio: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ die < > anno 1648. /.../ disputationis examini sub praesidio /.../ Laurentii Ludenii, /.../ submittebat Ambernus Haquini Printzius, /.../ A. et resp. Dorpati Livonorum, 1648: J. Vogelius) SKB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Pietate, Doctrina et Humanitate Ornatissimo Iuveni*  
DN. AMBERNO HAQUINI **PRI NTZ**/  
Amico et Sympatriotae svavissimo, Docte et Methodice  
de Justitia Theses adornanti.

O AMBERNE, sacrae decus immortale Camoenae,  
Paeonij et nostri portio pulcra chori:  
Rem dignam Musis praestas, dum fortia bella  
Pro Virtute sacra Marte favente geris.  
5 Dum tuus, ut coepit, splendescere pergit Apollo,  
Ah! patriis agris fertilis annus erit.  
Ulterius gnavum studiis intende laborem,  
Et tibi per Musas fama perennis erit.

Moris et Honoris ergo gratulabundus  
app.  
M. PETRUS CAROLI UNDENIUS,  
W-Gothus, SS. Theol. Stud.

34. Adr: Ambernus Haquini Printzius – Aut: Laurentius Emzelius (cf. 33) SKB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Exulat in multis male, Justitiae decus, actis;  
Et bene parturiens, jura parare nequit.  
Hoc pius attendit Thesium harum tutor et Author,  
Soepe videns rumpi vincula Justitiae!

- 5 Hinc motus, studio rimatur scripta fideli,  
 Et probat ingenij candida signa pij.  
 Nam de Justitiae Stella bene pondere gratas,  
 Ordine concinno protulit ipse Theses.  
 Gratulor inde tibi, Respondens arte polite;  
 10 Gratulor, ingenium sic viguisse tuum.  
 Nunc igitur fausto, PRINTZI, conscendito saltu;  
 Nec finito incoepti sensa retro ire tui.  
 Sic te fama, decus, sic praemia certa manebunt,  
 Sic tibi Castalides certa brabea ferent.

Praestantissimo Dn. Respondenti, Thesium harum Authori,  
 Amico et Sympatr. sincere dilecto, ita  
 applaudeb.  
 M. LAURENTIUS EMZELIUS,  
 West-Gothus.

35. Adr: Benedictus P. Rothovius – Aut: Sveno Bernhardi Eckenbladh (Passio Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi secundum D. evangelistam Matthaem: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ oratione solenni, die Parasceves, an. 1648. publice /.../ memoriter enarrabat Benedictus P. Rothovius, /.../. Dorpati Livonorum, <1648>: J. Vogelius)

SKB, Växjö LB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

Doctiss. et Humaniss. Dn. Peroranti.

- Perge, velut pergis dare doctae munera mentis;  
 Et cum laude tibi munera grata paras.  
 Egregios ausus laudo! His insistere perge,  
 Perge ita, doctus eris; perge ita major eris.*  
 5 *Faxit id Omnipotens! Adsit tibi Numine dextro,  
 Atque det ingenio vela secunda tuo.*

Amoris et honor. Ergo haec pauc.  
 app.  
 Sveno Bernhardi **Eikenbladh** /  
 Smolandia Svecus.

36. Adr: Benedictus P. Rothovius – Aut: Johannes Andreae (cf. 35)

SKB, Växjö LB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

- Diffundat quamvis sese rationis acumen,  
 Despiciat montes, ac invia tesqua pererret;  
 Attamen haud capiet, quo Christus ductus amore,  
 Dum nos damnatos peccato et morte redemit.*  
 5 *Morte sua Dominus vitio nos purgat ab omni,  
 Restituens nobis peccato perdita dona.  
 Haecce pie tu pertractas, mi docte ROTHOVI,  
 Ergo tibi laus atque decus sine fine vigeunt.*

Sincerioris affectus contestandi E.  
 scripsit  
 Johannes Andreae,  
 Smolandus.

37. Adr: Benedictus P. Rothovius – Aut: Jonas Gothonis Ryander (cf. 35) SKB, Växjö LB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Felix, qui Domini meditaris vulnera Christi:

Nam sanguis Christi crimina nostra lavat.

Amico Animo apponebat  
Jonas Gothonis Ryander,  
Smal. Svecus.

38. Adr: Benedictus P. Rothovius – Aut: Simon Haquini Slettherus (cf. 35)

SKB, Växjö LB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Sic regitur DEUS humana sub mole, simulque  
Induit humanos artus, fert nostra pericla,<sup>45</sup>  
Pro nobis etiam morti se subjicit ultro,  
Abluit et generis labem mortalibus aegris!*  
5 *Rothovi, i felix, dum tanta oracula dicis.*

Sympatriotae et Amico suo ita gratulari  
voluit  
Simon Haquini Slettherus,  
Smolandus.

39. Adr: Jonas Gothonis Ryander – Aut: Benedictus Petri Rothovius (In gloriosissimam ascensionem Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi oratio: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ ipso die ascensionis Jesu Chr. an. 1648. publice /.../ memoriter enarrabat Jonas Gothonis Ryander, /.../. Dorpati Livonorum, <1648>: J. Vogelius)

SKB, Växjö LB, H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Humaniss. et Literatiss.*  
Dn. Peroranti.

*In Coelum ascendit cum plausu Christus Jēsus,  
Obstructique viam nobis patefecit olympi;  
Ut docto tradis scripto, Charissime JONA.  
Perge placere Deo, cui te per Vota sacra sti;*  
5 *Et capiet felix multos Ecclesia fructus,  
Atque tibi surgent optatae laudis honores.*

Amoris et Honoris Ergo ita vovebat  
animus et calamus  
Benedicti Petri Rothovij,  
Smalandia Sveci.

40. Adr: Jonas Gothonis Ryander – Aut: Simon Haquini Slettherus (cf. 39)

SKB, Växjö LB, H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Dulcis Amice, tibi ferimus praeconia laudum:  
Mente pia volvis mystica scripta Dei.  
Enarras, veluti Christus cito ab hoste triumphum  
Inferno referens scandat ad astra poli.*  
5 *Perge, velut pergis: mysteria pandere perge:  
Et venient vitae tempora laeta tuae.*

Honoris et Amicitiae contestandae  
E. scripsit  
Simon Haquini Slettherus,  
Smol. Svecus.

<sup>45</sup> *pericla* pro *pericula* edd metri causa

41. Adr: Simon Haquini Slettherus – Aut: Laurentius E. Emzelius (De Spiritu sancto oratio: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ ipso die Pentecostes, anno 1648. publice /.../ enarrabat Simon Haq. Slettherus, /.../. Dorpati Livonorum, <1648>: J. Vogelius)

SKB, Växjö LB, H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Humaniss. et Doctiss. Dn. Peroranti.

*Crebrius exsurgunt multi, qui tempore nostro  
Turpius ah vivunt, dum Curios simulant!  
Sunt qui desertas rellictis urbibus intrant  
Sylvas, ut vitiis vita carere queat;*  
5 *Sed tamen immundum satiant pro Numine ventrem,  
Curaque nec capit hos Numinis ulla viros.  
Ast tu, Docte SIMON, nostri pars grata Lycei,  
Gratia Pieridum, delictumque meum;  
Instituis melius; quod nobis utile, dicis:*  
10 *Dicis, ab aethera Spiritus arce venit.  
Hoc docet e liquidis oratio fontibus hausta,  
Flaminis aeterni quae sacra facta refert.  
Macte animis SIMON, cantant praeconia Musae,  
Laudat et ipsa sonos Patria terra tuos.*  
15 *Pallas amat, quondam studiis conferre brabeja,  
Et tibi Musarum Praeses Apollo favet.*

Haec in verum Amicitiae Symbolum  
posuit

M. Laurentius E. Emzelius,  
West-Gothia Svecus.

42. Adr: Simon Haquini Slettherus – Aut: Faderus Uraelius (cf. 41) SKB, Växjö LB, H, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Gratulor inde tibi, svavissime Amice; sacratis  
Quod video Studio te ardenti incumbere scriptis;  
Scripta Prophetarum et plenis addiscere Votis.  
Sit tibi, sit Curae, Sanctum cognoscere nostrae*  
5 *Justitiae fulmen; Labor is parit ominor omen.*

Sic grat. voluit  
M. Faderus Uraelius,  
Smol. Svecus.

43. Adr: Simon Haquini Slettherus – Aut: Benedictus Petri Rothovius (cf. 41)

SKB, Växjö LB, H, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Spiritus ille datus nobis est Sanctus ab alto,  
Ut bene perpendis tu, mi SLETTHERE Sodalis.  
Perge tuis coeptis; det vela secunda Jehova,  
Praemia quo tandem referas condigna labore:*  
5 *Olim splendebis laeto sic auctus honore.*

Honoris et amoris ergo haecce paucula  
addidit

Benedictus Petri Rothovius,  
Smalandia Svecus.

44. Adr: Simon Haquini Slettherus – Aut: Petrus Eriki Aulinus (cf. 41)

SKB, Växjö LB, H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Gratulor ex animo tibi Sympatriota subinde,  
Quod Studiis optas invigilare Sacris.  
Biblia scrutaris; Sacrosancta Oracula discis.  
Et tradis doctis Dogmata sancta sonis.

5 Sic, SLETTHERE, piis studiis incumbere; sequentur  
Quae sperata tibi, quaeque beata tibi.

In Sincerae Amicitiae arrham, Amico infucato  
sic gratulari voluit  
Petrus Eriici Aulinus,  
Smol. Svecus.

45. Adr: Andreas A. Tremulander – Aut: Daniel Danielis Nycopensis (De resurrectione mortuorum oratio: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ Postridie Paschatos, anno 1648. publice /.../ enarrabat Andreas A. Tremulander, /.../. Dorpati Livonorum, <1648>: J. Vogelius)

SKB, Växjö LB, EAB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Προσφώνημα

ad

*Morum ac vitae integritate Doctrinaque Conspicuum  
Juvenem*

DN. ANDREAM A. TREMULANDRUM  
W-Gothum, docte et methodice de Resurrectione  
Mortuorum Perorantem.

*Piëridum, ANDREA TREMVLANDER, strenue cultor,  
Delicium Patriae, nostri pars pulchra Lycei;  
Dum sacro in scripto declamas pectore firmo,  
Atque refers nostra haec quod vivificata resurgent  
5 Corpora de tumulis, justus cum venerit Vltor,  
Et tuba per densas sonitum dabit ardua nubes.  
Gratulor, applaudoque animo laetanteque vultu  
Quod sic scrutaris volvisque volumina sacra.  
Vt bene caepisti, pergas insistere coeptis;  
10 Quo tandem possis studiorum tangere metam,  
Atque tuis pulchris conatibus ire per altum.*

Ἐτεόστιχον.

*Ergo tVIs pVLChrIs faVstVsqVe InsIstIto CoeptIs,  
HInCCe opto faVstVs praeMIa pVLChra feras.*<sup>46</sup>

Amoris et honoris Contest. C. Conscriptum

a

DANIELE DANIELIS NYCOPENSI,  
Sveco, SS. Theol. Studioso.

46. Adr: Josephus Paulinus Ulsbeckius – Aut: Laurentius Ludenius (Ultimo honori /.../ Josephi Paulini Ulsbeckii, Smolandi, in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est, philosophiae et LL. studiosi, /.../ qui, /.../ die 13. Julij, anno 1641 nescio a quibus /.../ percutitur /.../ mox emoritur: cujus exuviae die 10. Maji, anno 1648. sepulchro, quod ibidem est in aede D. Mariae quondam sacra /.../ sunt illatae: /.../ consecrabant Musae Embecciadis. Dorpati Livonorum, 1648: J. Vogelius)

UUB (def), [Tartu UB (def)]

<sup>46</sup> Eteostichon annum 1648 exhibens

JOSEPHUS PAULINUS ULSBECKIUS:  
*Per Anag.*  
 OPUS ULSBECKI, IN JHESU PLAUSUS!

Sic homo, quem Numen Divino semine fingens  
 Fecit in effigiem moderantis cuncta Jehovahae;  
 In dubios casus, et prona pericula mortis  
 Disjicitur! fatigue alto sic vertitur ictu!  
 5 JOSEPHUS PAULINUS huic ULSBECKIUS orbi  
 Gratus erat: Pietate gravis, Probitate venustus;  
 Omne OPUS ULSBECKI, IN JHESU per tempora PLAUSUS!  
 Eunomiae et sanctae Sophiae succensus amore  
 JOSEPHUS PAULINUS huic ULSBECKIUS orbi  
 10 Gratus erat: Doctum ingenio Tritonia Pallas  
 Dixerat; insignem Themis efformaverat arte;  
 Ut cadit ille insons inopiniae verbere pugnae,  
 Et dextro infixum stridet sub lumine vulnus!  
 Deficiunt toto rupti discrimine nervi!  
 15 Exundans sanguis sese jaculatus in altum  
 Emicat, et longe terebrata prosilit aura;  
 Dones seque animamque suam tibi, CHRISTE Redemptor,  
 Commendat; linquitque suos jam spiritus artus!  
 Ille pie emoritur; cujus, Duce Flamine Sancto,  
 20 Omne OPUS ULSBECKI, IN JHESU per tempora PLAUSUS!  
 Verum jamdudum coecis est saucia curis  
 Pallas! et ingentem premit alto corde dolorem!  
 Est PAULINA Domus curis ingentibus aegra,  
 Coeruleis moesta est vittis atraque cupresso!  
 25 Sed tu, CHRISTE, potens Populos reparare sepulchris,  
 Et reduces redivivae Animas infundere carni,  
 Tunc OPUS ULSBECKI, IN JHESU per juba PLAUSUS;  
 Trisagionque DEO plaudenti concinere ore!

Inter. lac. p.  
 Laurentius Ludenius, Ph. et J. U. D.  
 Poët. Cor. Professor Juris, Oratoriae  
 et Poëseos.

47. Adr: Josephus Paulinus Ulsbeckius – Aut: Joachimus Crellius (cf. 46) UUB (def), [Tartu UB (def)]

EPICEDIUM

*Soevit iners Bacchus; turbae furor arma ministrat:  
 Dum Paullinus ad haec prospicit, ense cadit.  
 Qui pius ense cadit; (quod Fata tulere ferendum),  
 Improbis impunis coedis at author abit.  
 5 Ast abeas, lateas: Te vindicis irae sequetur  
 Jovae, Paullinum qui super astra beat!*

M. Joach. Crellius,  
 P. P.

48. Adr: Josephus Paulinus Ulsbeckius – Aut: Petrus Caroli Udenius (cf. 46)

UUB (def), [Tartu UB (def)]  
EPICEDIUM

*Defunctus.*

E cineris massa, falsaeque antyllidos herba,  
Formari flammis splendida vitra solent:  
Sic cinis ater eram, cineres nunc solvor in atos,  
Sed nitidum extremo corpus habebō die.

Condolentiae ergo paucula haecce app.  
M. Petrus Caroli Undenius,  
W. Gothus, SS. Theol. Stud.

49. ADR: Josephus Paulinus Ulsbeckius – Aut: Gamaliel Bergius (cf. 46)  
(def)]

UUB (def), [Tartu UB

EPICEDIUM

Omnigenos mortis quisnam vitaverit ictus?  
Hos rapiunt Tigres! hos et maris aequora poscunt!  
His vitamque adimit gladio crudelior hostis.  
Exemplum nobis ita praebet triste, Iosephus!  
5 Qui potuit vitam multas extendere in annos,  
Aonij in campo dum miles strenuus ivit:  
Virtutem coluit, studiis nec frena remisit.  
Ast nunc vulneribus prostratum cernimus illum!  
Hic jacet ad tumulum miserandum et flebile corpus!  
10 Verum Anima in coelis CHRISTO sociata triumphat,  
Atque Deo nostro dulcissima Iubila psallit.

Moestissimus scripsit  
Gamaliel Bergius,  
Pastor Laisensium.

50. ADR: Petrus Johannis Wichovius – Aut: Ericus Holstenius (In octo libros Physic. Aristot. *περὶ τῆς φυσικῆς ἀκροάσεως*, sive de naturali auscultatione disputatio trigesima, continens nobiliores notas et quaestiones cap. 6. 7. 9 lib. 4. a text. 50. usque ad text. 87. Quam in Regia Academia Dorpatensi /.../ proponit et publicae disputationi subjicit Johannes Erici Stregnensis, /.../ respondente Petro Johan. Wichocio, /.../ die < > Octob. 1648. /.../. Dorpati Livonorum, 1648: J. Vogelius)

UUB, H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Literatissimo et Humaniss. Dn. Respondenti  
De Vacuo docte disputanti;*

*Multa super Vacuum Veteres scriptis cumularunt;  
Et tamen hoc Vacuum semper inane manet.  
Sed Vacuum non tale dari cum, PETRE, subinfers,  
Ingenium Vacuum non finis esse tuum.  
5 Sic Vacuum scriptis doctorum perge replere:  
Et nequeat nomen laude Vacare tuum.*

Ita L.Mque appl.  
M. Ericus Holstenius.

**1649**

1. ADR: Andreas Arvidi <Stregnensis> – Aut: Laurentius Ludenius (Propempticon, quo /.../ Andream Arvidi Stregnensem philos. candidatum /.../ artisque medicae studiosum /.../ e Regia Universitate

Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ die 23. Maji anno 1649. in Patriam Sveciam discedentem, prosequabantur Musae Embecciaes. Dorpati Livonorum, 1649: J. Vogel)

SKB, [Tartu UB]  
PROPEMPTICON

ANDREAS ARVIDI:  
*Per Anag.*  
I! I ARDENS ARDUA!

*I bene, quo tua te Virtus vocat! I pede fausto  
ARDVA dextre ARDENS, dexter et ARDOR erit.*

In felix auspiciis ap.  
Laurentius Ludenius, Ph. et J.U. D.  
ac Prof. Ord.

2. Adr: Andreas Arvidi <Stregnensis> – Aut: Petrus Caroli Udenius (cf. 1)

SKB, [Tartu UB]  
PROPEMPTICON

*Tob. 5. v. 21.*

**Så fahr å stadh/ Gudh ware medh tigh på Wägenom/  
och hans Engell leedsage tigh.**

Elaboratio.

*Candide Stregnensis, Musarum gloria certa,  
Poeonij florens portio pulcra Chori!  
Annos per quosdam tinxit te noster Apollo  
Dorpticus, et Sophiae deliciosus amor.*  
5 *Hic, (nosti) tibi cuncta favet Studiosa Juventus,  
Inde Professores, Civis in Urbe favet!  
Te redamant viridi ornati Parnasside lauro,  
Quotque movent doctae mollia plectra lyrae.*  
*Sed non illa tuam possunt inflectere mentem,*  
10 *Hic neque Dorpati te retinere valent.  
Voto, quo Tobias Gnatum dimisit, eodem  
Dimitto, ducat te chorus Angelicus.  
Sit faustum et felix votum, sint omnia fausta,  
Eveniantque tibi commoda larga, precor.*  
15 *Et tua tranquilli veniant ad littora Ponti  
Carbasa, tu videas prosperitate Tuos.*

Abeunti Amico et Convictori suo dilectiss.  
Dn. Andreae Stregnensi, Philosophiae Can-  
didato meritiss. hisce animitus  
gratulatur  
M. Petrus Caroli Udenius,  
W-Gothus, Pastor Turmae pedestris,  
et SS. Theol. Stud.

3. Adr: Andreas Arvidi <Stregnensis> – Aut: Ericus A. Holstenius (cf. 1)

SKB, [Tartu UB]  
PROPEMPTICON

ANDREA Aonidum Decus altum et fama Sororum,  
Svavior his oculis qui mihi semper eras.  
Quo properas gressus? cur lumina mittis in Oras,

5 Quas procul a nobis separat Oceanus?  
 Nil te dulce tenet nostrum? nil fama Virorum,  
 Qui toties doctos, ti ore dedere sonos?  
 Jura Sodalitij nostri quae junximus olim,  
 Te non a mente hac jam revocare valent?  
 Dorptae nil pulchri est? Oculorum pabula nulla,  
 10 Quae te nobiscum nunc retinere queunt?  
 Sed frustra mea tendentem vox rauca moratur,  
 Cum natale solum jam trahat ecce Virum.  
 Vade igitur felix, Pelagi Deus, Astripotensque  
 Ad patriam sospes det, precor, ut redeas.  
 15 Sit placidum ventis nigrum mare, fluctibus atris,  
 Non Eurus navem pulset et aura Noti.  
 Interea nostram capient oblivia mentem  
 Nulla tui, noster nam hoc tibi debet amor.  
 Vade bonis avibus, Veterisque memento Sodalis  
 20 Sis semper felix, *Vive, Vigesce, Vale.*

Ita, Amico et Fautori svaviss. Philos. Cand.  
 digniss. mentis candorem declarare et  
 fausta quaevis apprecari voluit  
 M. Ericus A. Holstenius,  
 Westm-Svecus.

4. Adr: Andreas Arvidi <Stregnensis> – Aut: Axelius Kōskull (cf. 1)

SKB, [Tartu UB]  
PROPEMPTICON

*ANDREA, es felix, totoque ex asse beatus,  
 Dum potes ad patrios doctior ire Lares.  
 I bene, quo tua te Pietas vocat, I pede fausto,  
 Ad nos inde redi dexteriore via.*

Quod unice apprecatur  
 Axelius **Koskull**/ Nob. Svec.  
 Militum Dorpati excubantium  
 Signifer

5. Adr: Andreas Arvidi <Stregnensis> – Aut: Gustavus Kōskull (cf. 1)

SKB, [Tartu UB]

*Ad Patrios propera felici sorte Penates;  
 Sisque redux nobis dante, juvante DEO.*

Ita voveo  
 Gustavus **Koskull**/ Nob. Svec.

6. Adr: Andreas Arvidi <Stregnensis> – Aut: Andreas Fridzbergius (cf. 1)

SKB, [Tartu UB]  
PROPEMPTICON

ANDREAS ARVIDI  
*Per Anag.*  
 I, ARDUA IN RE DAS.

SI quis sit raros inter numerandus Amicos,  
 Sis (tua virtus hoc postulat ipsa) reor.  
*Ardua in, ANDREA, re pleno Marte triumphas,  
 Veraque tu doctis Das documenta Viris.*  
 5 Ito bonis avibus, sacrarum fervide Cultor

Musarum, patrios rite subito Lares.

Ita Amico suo gratulabatur.  
Andreas Fridzbergius,  
West-Gothus.

7. ADR: Andreas Arvidi <Stregnensis> – Aut: Andreas Hellenius (cf. 1)

SKB, [Tartu UB]  
PROPEMPTICON

5 *Quanquam non multum gravius, Claritate et Doctrina Praestantissime  
Dn. Candidate, Fautor et Amice Integerrime, ad aures mihi accidere  
potuit; quam quod, cum tuo, tum aliorum nostrorum Amicorum relatu, te  
iter suscepturum, nos deserturum, inque Patriam festinaturum, mihi nuntiatum  
est. Quae itineris susceptio, mihi licet ingrata, cum paululum temporis me  
adhuc in Livonia victurum proposuerim et Amicorum Fautorumque ope sem-  
per indiguerim, illud tamen tritum proverbium menti haud incommode  
obvenit:*

Nil nocet admissio subdere calcar equo.

10 *Cum itaque tu inter Fautores et Amicos magnus, Patriam et Parentes vi-  
sitare, animo proposueris, idque tibi a Senatu Academico, reliquisque Amicis,  
licet aegre (cum de absentia bonorum Virorum, Amicorumque amicissimorum,  
non ante eorum carentiam<sup>47</sup> quis conqueratur), tamen concedatur, certe ad-  
mittitur calcar equo subdere, propositum inchoare, inchoatum continuare,  
15 continuatum, donec metam propositam tetigeris, perficere, et quo te vocave-  
rit, quoque te locaverit fortuna, accedere, et ibi persistere, consultor sum, et  
amice rogo. Certo, te acquisitam Sapientissimae Deae Pallados societatem,  
nunquam amissurum, Coronam ejus opera exstructam, tuaque tibi compara-  
tam et jam jam datam,<sup>48</sup> eamque ipsam defensuram et protecturam Sperans.  
20 Quod mei est officij,*

Hoc precor; hunc illum nobis aurora nitentem

Luciferum roseis candida portet equis.

25 *Et te ad tuos felici pervenire pede et ad nos, si Deo placet, bona valetudine  
praeditum, rebusque bene peractis, redire et pervenire exopto, Deum ter Opt.  
Max. id animitus precor. Vtque mihi faveas officiose contendo.*

Scriptum calamo currenti Dorpati Livonorum  
in faustum abitum Dn. Andreae Stregnensis,  
Philosophiae candidati, et Medicinae  
Studiosi, Patriam cogitantis,  
ab  
Andrea Hellenio,  
Arosia Westmann.

8. ADR: Andreas Arvidi <Stregnensis> – Aut: Ericus Munthelius (cf. 1)

SKB, [Tartu UB]  
PROPEMPTICON

*Tv Novenarum Decus es Sororum,  
Docte STREGNENSIS, pie Fautor, ipsa  
Et tuas laudes resonant abunde  
Pulpita nostra.  
5 Sed (mihi causam memora) quid ergo  
Tam cito nostris properas ab oris,*

<sup>47</sup> carentia S : carentiam corr

<sup>48</sup> daturam S : datam corr

*Hic velit cum Te retinere quisque  
Atque Camoenae.  
Ast eas felix, redeasque sospes,  
10 Atque salvus sis ubicunque mavis,  
Me tibi addictum memorique mente  
Semper habeto.*

Amico suo svavissimo, Dn. Phil. Candidato  
meritissimo, in patriam abeunti, ita  
apprecari voluit  
Ericus Munthelius,  
Wesmannus

9. Adr: Andreas Arvidi <Stregnensis> – Aut: Petrus Falck (cf. 1)

SKB, [Tartu UB]  
PROPEMPTICON

Doctrinae Eusebiae, Sophiaeque decore polite,  
STREGNENSIS, Clarij pars Studiosa Chori.  
Livonicos tractus tu jam cum linquere pergas,  
Sit mensque in Patrium velle redire Solum,  
5 Carminibus faustum tibi comprecor omen ab alto,  
Sitque Comes Raphaël, dante Deo, ipse viae.

Paucula haec in felix ac faustum iter Contubernali  
suo svavissimo, amice ac fraterne  
appos.  
Petrus **Falck**/  
Sudermannus.

10. Adr: Andreas Arvidi <Stregnensis> – Aut: Petrus Byringius (cf. 1)

SKB, [Tartu UB]  
PROPEMPTICON

Remivagum mittit lembum mercator ad Indos,  
Scilicet ut rutili, comportet dona Metall;  
Vela ferenda Notis insanis, Navita tradit,  
Dum quatit horrisonis illum mare fluctibus atrum,  
5 Africus et vastis involvit mole procellis.<sup>49</sup>  
Hunc ubi praeclaris gemmis oneravit et auro,  
(Chara talenta Mydae) convertit vela ratemque  
Navita et Oceani repetit loca pristina puppi.  
Grato onere hoc lembum cernens Mercator onustum  
10 Retro venire, suos jubet exultare Propinquos,  
Laetitiae voces sociare et Sangvine iunctos.<sup>50</sup>  
STREGNENSIS, Sophiae, Panaceae et Pallados almae  
Delicium, te nunc praedictum fecero lembum.  
India erit Levonum tellus, sed fulgida dona  
15 Obryssi Σοφίη, toto pretiosior auro,  
Mercator, Genitor. Nemo est, qui caetera nescit.  
Cum patrias, animo dives repetiveris oras,  
Gratus eris Notis, sed multo gratior illi,  
Quem blanda rediens appellas voce Parentem.  
20 Vade igitur felix! Sit constellatio coeli

<sup>49</sup> *atrum* / *Africus*, *et vastis involvit mole procellis* interp. S : *atrum*, / *Africus et vastis involvit mole procellis* corr

<sup>50</sup> *cunctos* S : *iunctos* corr

Commoda, et asperitas remoretur nulla viarum,  
Te, Patriam tandem quo sospes visere possis.

Abeunti Amico suo amicissimo, haec paucula  
prop. app.  
Petrus Byringius.

11. Adr: Andreas Arvidi <Stregnensis> – Aut: Andreas Malmenius (cf. 1)

SKB, [Tartu UB]  
PROPEMPTICON

Stregnensis *Fautor, quo non mihi svavior alter,*  
*Nos studiis, animisque olim Stregnesia junxit,*  
*Palladium et Dorptae nos inter nos sociavit,*  
*Congeries Morum, Pietas, tua Vitaque pura,*  
5 *Me, te prae multis aliis adamare coëgit.*  
*Aonias vigili coluisti pectore Musas,*  
*Hinc ter tres Nymphae, Summo conamine pergunt,*  
*Aemonia lauru, tua tempora cingere docta.*  
*Sed dic qui fiat, quod conversatio nostra?*  
10 *Tam cito rumpatur, caros dum linquis Amicos?*  
*Ah! vetus est verbum, longo quoque tempore tritum*  
*Quo nos Fata trahunt, quo nos retrahuntque sequamur.*  
*Mos igitur cum sit, Fatis per vota gerendus,*  
*I, quo fata vocant, pete Svedica Regna per undas,*  
15 *Det Deus incolumemque ratem, ventumque secundum,*  
*Ut tandem redeas, patrias bene loetus ad oras.*

Haecce infucato suo Amico ac Conterraneo  
scripsit  
Andreas Malmenius,  
Suderm.

12. Adr: Andreas Arvidi <Stregnensis> – Aut: Ericus Kolmodinus (cf. 1)

SKB, [Tartu UB]  
PROPEMPTICON

Alta nequit requiescere mens, placet Orbe vagari,  
Artis et ingenij meliores quaerere cultus  
Et, magno quae sunt Mundo contenta, theatra,  
Aethereumque rato spectare cacumine corpus.  
5 *Insuper et pecudes, flores, genus omne ferarum,*  
*Novit, et ipsorum naturam dicere callet.*  
*Ponderis et magni perpendet scripta Sophorum,*  
*Regnorum vires, sinuosa volumina Legum,*  
*Atque Poëtarum dicteria prisca revolvit,*  
10 *Aptos ut mores peregrinis quaerat in oris.*  
*Haec lustrare docent Gentes et Regna remota,*  
*Mirari turres, valles urbesque repostas,<sup>51</sup>*  
*Thespiadumque simul pellucida volvere fulcra,*  
*Et quae sint mentis, quae dignaque lumine ocelli.*  
15 *Quod si contingat loca quaerere dissita terris*  
*Vix indignetur si non fortuna secundet.*  
*Non lautum semper coelum, non culcitra mollis,*

<sup>51</sup> *reportas* S : *repostas* corr; *repostas* pro *repositas* metri causa

Non domus egregia est, non usque virentia Tempe.  
 Invisit fortuna gradu, faustique Penates  
 20 Vitae non renuent discrimina saeva subire,  
 Ipsam vel mortem, nec non miserabile fatum,  
 Colloquium trepidans gelidae spectabitur undae,  
 Udis quae puppes pertentat fluctibus omnes,  
 Nec retinere valet stabilem per secula sortem.  
 25 Non ideo remoraris ut arva serenda relinquo.  
 En Sophiae vultus coluit, non robora dextrae aut  
 Abstrusos membris quassavit in orbe recessus.  
 Sed seriem mentis depinxit rite colore,  
 Ingenij viridis firmavit comiter artus,  
 30 Expertus doctae svavi dulcedine linguae.  
 Ut jubar ex arvis Levonum splendescit in aevum,  
 Sic splendore nitet Musarum operata Juventus.  
 Progenies Divum sic Delius augur Apollo,  
 Os animumque dedit rata munera fusa per artus.  
 35 Constans et firmus sit in hoc precor exitus idem.  
 Qui sic Aonias scandit feliciter axes  
 Atque animo vellit segnes feliciter actus,  
 Roborat hunc virtus nec lurida damnat Erynnis,  
 Paupertas, Bacchus, nec tristia fata refellunt.  
 40 Aeque nec terrent nec Ponti tristis imago.  
 Hinc precor, et quoniam decedere Phoebus ab Urbe  
 Te jubet, usque frui coelo nunc commodiori.  
 Vota tibi voveo, quamvis nil ponderis insit,  
 Attamen haud possum quin reddam quod meruisti.  
 45 Sensa figurato promit sermone colonus,  
 Posse loqui laus est urbano quemlibet ore.  
 Tyndaris Illiadem fama super aethera vexit,  
 Gloria Odyssean jam Pannelopesne replevit?  
 Sic juncti Musis morientur nomine nunquam,  
 50 Transcendent rutilum laeti sed semper Olympum.  
 Mille, o STREGNENSIS, voveo tibi vota precesque,  
 Nunc igitur felix pete svecica Regna per undas.  
 Et Sophiae libare stude almae pingvia iura,<sup>52</sup>  
 Perge et temporibus fac tu servire labores.  
 55 Perge, ast hic simula: “Niger est; Romane, caveto”,  
 Et pergas nostrum studio servare favorem.  
 Nunc omen Musae depromunt cordibus imis,  
 Insuper ecce nemus Dorpti canit omne; *Valeto*.

In abitum Amici et fratris sui desideratissimi,  
 lubens haec paucula fudit.  
 Ericus Kolmodinus,  
 Sudermannus.

13. Adr: Andreas Arvidi <Stregnensis> – Aut: Andreas Windbergius (cf. 1)

SKB, [Tartu UB]  
PROPEMPTICON

ANDREAS ARVIDI STREGNENSIS:

<sup>52</sup> *rura S : iura corr*

*Per Anag, d in a mut.*  
NE SISTAS. REGNA DIVINA NARRES.

*Candide STRENGNENSIS, nostri pars docta Lycei,  
Divinis Musis pectora nata geris.  
NE SISTAS cursum, NARRES DIVINA Tonantis  
REGNA, et Supremi Numinis elogia.*

5 *Musae Embecciadēs cinctae Parnasside lauro,  
Magnos ti plausus voce referre student.*

Haecce Amico deproperabat  
Andreas Windbergius,  
Sudermannus.

14. Adr: Andreas Arvidi <Stregnensis> – Aut: Amernus Printzius (cf. 1)

SKB, [Tartu UB]  
PROPEMPTICON

Andreas Arvidi Stregnensis, *Sudermannia Sve-*  
*cus, Philosophiae Candidatus meritissimus et Medicinae Studiosus*  
*solertissimus.*

Per Anag.

*Ah sol sis inter sidera nitidissimus, Sis Svecus, decus, vis rosae, haec  
annis ditent. Nam generosa virtus (dona splendida Summi)  
meruit.*<sup>53</sup>

Praestans ANDREA, cur praebes carbasa ventis?  
Quo, quaeso, tendis? candide Amice refer.  
Praestans ANDREA, *ah sol sis nitidissimus inter  
Sidera flammigeri lucidiora Poli.*

5 *Sis Svecus, decus, ecce rosae vis fortis amoenae  
Temet, STRENGNENSIS, non latuisse potest.*

His *annis* et dum fulgebunt sidera coelo  
Te *ditent haec*, et commoda magna ferant.

*Nam meruit generosa* (reor) vere tua *Virtus,*  
10 *Summi*, quae recolit, *splendida dona Dei.*

Ecce tibi Musae gratantur, Castaleaeque  
Victori tradent myrteaserta Deae.

Ibis ovans igitur quo te vocat ardua Virtus,  
Pectoris atque vocant commoda laeta tui.

15 Te salvum servant Sanctissima Numina semper,  
Ut sospes venias ad data tecta Patris.

Longa tibi ducant triplices subtegmina Parcae,  
Ut videas Pylis secula sera senis.

*Chronodistichon annum exhibens.*

20 O VIVas saLVVs feLICE sVb aethere CVncta  
SeCVLa, te fVgIant syDera DIra, VaLe.<sup>54</sup>

Praestantissimo Dn. Candidato, Amico suo devenerando,  
ita vovebat animus et calamus

<sup>53</sup> Anagramma non recte constructum.

<sup>54</sup> Chronositchon annum 1649 exhibens

Amberni Printzij,  
West-Gothia Sveci.

15. Adr: Andreas Arvidi <Stregnensis> – Aut: Daniel Danielis Nycopensis (cf. 1) SKB, [Tartu UB]  
PROPEMPTICON

*Ἐτεόστειχον* votivum.

*Stregnensis, FaVtor, fLos fragrantIssIME Phoebi,  
In IesV I faVste, VIVe VaLeqVe DIV.*<sup>55</sup>

Pro felici suscepti itineris omine f.  
Daniel Danielis Nycopensis,  
Sudermannia Svecus.

16. Adr: Christina – Aut: Laurentius Ludenius (Augustissima magnificentia, /.../ Christinae, /.../ Svecorum, Gothorum, Vandalorumque reginae, /.../ in Regiam Gustavianam Adolphinam Academiam, quae Dorpati /.../ est /.../ quam, /.../ oratione solenni, die 17. Januarij, anno 1649. Cum vacationem a professione oratoriae ac poëseos, /.../ consecratus esset, /.../ aeternitati consecrabat Laurentius Ludenius, Ph. et U.J.D. poëseos exprofessor. Dorpati, 1649: J. Vogel)<sup>56</sup>

UUB, SKB, Växjö LB, H, [Tartu UB]  
DEDICATIO

*Serenissimae et Potentissimae Principi  
ac Dominae,*

DN. CHRISTINAE,

Dei Gratia, Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Reginae, ac Principi Haereditariae; Magnae Principi Finlandiae; Duci Esthoniae et Careliae; Dominae Ingriae, etc.

*Victrici, Piae, Felici, Augustae, etc.*

Vitam, Incolumitatem et Felicitatem p.p.

*PATRIS, et aequaevae SOBOLIS, FLATUSque SACRATI  
Annuat aeterna PACE perennis AMOR!  
Est DEA dicta CHARIS, Natura mitis et Annis,  
PACIS amans, Orbis deliciosa CHARIS.*

CHRISTINA,  
REGINA SVECIAE:

*Per Anagram.*

CHARIS  
IN REGNA IT SVECIAE.

- 5 *Sancta CHARIS, CHRISTINA CHARIS; Regina Serena  
IN REGNA IT SVEONUM deveneranda CHARIS.  
Est Pater Illustris Phoenix in Prole renatus:  
AdVeniat, Videat, Vincat amica CHARIS!*

SS. Reg. Maj. Symbolum:  
CHRISTUS REFUGIUM SUORUM.

<sup>55</sup> Eteostichon annum 1649 exhibens

<sup>56</sup> Idem 1636.14; 1643.21; 1644.4; 1645.13; 1646.4; 1647.17; 1648.13; cum variatione 1648.12; cf. 1641.11; 1642.19-20.

10 *Nam RE conFUGIUM REGINAE CHRISTUS; ab alto  
Irradians, complens Regia Corda, VIGOR.  
CHRISTUS, Numen, Honos, nitidissima Vita SUORUM:  
Arctoi Regni Lux, Sator, alma Salus!  
Salve; Sancta CHARIS! Salve, REGINA! IEHOVA  
Auspice, sis Regni deliciosa CHARIS.  
Dominae et Reginae suae Clementissimae,  
Humilime.*

17. Adr: Christina – Aut: Laurentius Ludenius (SS. Reg. Maj. tis natalis vitae augustissimae, pacisque per Germaniam jam reducis /.../ Christinae, /.../ Svecorum, Gothorum, Vandalorumque reginae, /.../ publica pompa triumphali, die 8. Decembris, anno 1649. /.../ celebratus; et oratione solenni in Regia Gustaviana Adolphina Academia, quae Dorpati /.../ est /.../ aeternitati consecratus a Laurentio Ludenio, /.../. Dorpati Livonorum, 1649: J. Vogelius) Kobenhavn KB, SKB, [Tartu UB]

ENCOMION

*Serenissimae et Potentissimae Principi ac Dominae,  
DN. CHRISTINAE,  
Dei Gratia, Svecorum, Gothorum, Vandalorumque  
Reginae, et Principi Haereditariae; Magnae Principi Finlandiae;  
Duci Esthoniae, Careliae, Bremae, Verdae et Pomeraniae;  
Principi Rugiae; Dominae Wismariae et Ingriae, etc.  
Victrici, Piae, Felici, Augustae, Inclytae,  
Dominae et Reginae suae Clementissimae;  
Vitam, Incolumitatem et Felicitatem perpetuam p.*

*Qui dedit Augustam Reginae ascendere Sedem,  
Et fontem lustrare Boni: det, Pace reducta,  
Aeternus PATER, et SOBOLES, et SPIRITUS Almus,  
Hunc laetum Regnoque Diem, Levonumque Saluti!*

5 *Regia Progenies GUSTAVI Regis ADOLPHI,  
CHRISTINA, Heroina; sacra Virtute Serena  
REGINA; aeternae Fulcrum Pietatis, et orbis  
Delicium, et Regni Arctoi Celsissima Princeps,  
Cujus Majestas Regni porrecta sub Arctum*

10 *Hospitibus Superis venit optatissima Sedes:  
SALVE, Aevi Regnique Decus! Redeuntibus Annis  
Octavum numerare Diem coepere Decembres;  
Ille tuus, REGINA, Dies solennis habetur  
NATALIS VITAE; Pariter NATALIS et ille*

15 *Perpetuo REDUCIS jam PACIS habebitur aevo.  
Natalis primas cum vitae traderet auras  
Contulit Augustas intra tua pectora Dotes.  
Illustris Facies, in qua GUSTAVUS ADOLPHUS  
Rex-Pater; Illustris Mater Regina, MARIA-*

20 *ELEONORA, pio agnosci discrimine posset.  
Natura Illustrem Formae concessit Honorem;  
Blandula Temperies; index est Vultus Honesti.  
Illustres Mores; Illustris ad ardua Virtus;  
Ore Deae vinxere Choros et Juppiter aequus.*

25 *Dante DEO, Sveonum Tellus pia, Gothia tota,*

Vandalicus tractus, dives Finnonia rerum  
 Multarum; Esthonia et Carelia; et Ingria tota;  
 Imperio subjecta tuo consortia Regna.  
 SALVE, aevi, Regina, Decus! Natalis amicae  
 30 Vitae, ille et Reducis Pacis Natalis habetur.  
 Annuat Omnipotens! qua se Germania mittit,  
 Mars olim imbuerat numeroso sanguine terram:  
 Una Ecclesiolam Mors circumvolverat atris  
 Cassibus; haerebat Stygia ceu compede vincata!  
 35 Rex Pater Arctous, Divus GUSTAVUS ADOLPHUS  
 Audiit! Indoluit per fata asperrima sanctam  
 Sic Ecclesiolam Sanctorum a Stirpe revulsam  
 Transferri gravium sub Sceptra tremenda Quiritum.  
 Adfuit armatus, cui Virtus Numen et Arma;  
 40 Atque Ecclesiolam mediis extraxit ab undis:  
 Cumque in Lützensi campo grave Sanguine Nomen  
 Scriberet; in coelis perscripsit Sanguine CHRISTI  
 Arctous Simpson; victrici et Morte triumphat!  
 Inde pij primaeva Patris fit Manibus ultrix  
 45 CHRISTINA, Arctoi nitidissima Gloria Regni,  
 Victrici hostiles dum vertat Marte Phalanges,  
 Sintque Ecclesiolae reducis tuta otia Pacis!  
 In gremium CHRISTI laurum Regina Triumpho  
 Deposuit; CHRISTOque altos indixit Honores!  
 50 CHRISTE, tuo splendore mica. Tu CHRISTE, Triumphus;  
 Tu Requies tranquilla Piis, Paxque unica vitae!  
 SALVE, aevi, Regina, Decus; Nostro Auspice CHRISTO,  
 Te Laudes, et Honos, et laeto Gloria vultu,  
 Et Decus, et niveis Victoria concolor alis,  
 55 Et totus lauro perducit ad astra triumphus.

Die 8. Decembris, Anno 1649.

Humilimo animo et calamo

ita devotissime apprecabatur

LAURENTIUS LUDENIUS, Ph. et J.U.D.

Profess. Ord.

18. Adr: Johannes Georgii Gezelius – Aut: Henricus Hein (Lexicon Graeco-Latinum continens voces omnes appellativas, cum Novi Testamenti, tum januae ling. Graecae, anno superiori hic Dorpati editae. In quo ipsum thema sequuntur ex eo derivata, haec excipiunt cum praepositione composita, tandem composita cum nomine aliisque partibus orationis. Opera et vigiliis Johannis Georgii Gezelii, Hebr. et Gr. ling. Prof. p. ejusque impensis. Dorpati Livonorum, 1649: J. Vogelius)

SKB, UUB, H, LNB, Tartu UB

GRATULATIO

Qui bene Graeca simul jungit documenta Latinis;  
 Ille Viri docti Nobile Nomen habet:  
 Hoc nobis Veterum narrant proverbium Vatum,  
 Clare Vir; Exemplo et candidiore probas.  
 5 Soepius in Grajo sermone Academica Tempe,  
 Praeside te, totae et personuere Theses.  
 Hinc pia Mercurij Soboles est doctior Arte,  
 Et culto Grajum pectore narrat opus.  
 Insuper ipse edis Grajo in sermone libellos:

10 Lexica Graja *oculos detinuere meos.*  
 Janua *detinuit* Grajae *nitidissima* Lingvae  
*Ante oculos, quos nunc Lexica docta tenent.*  
*Vive! Tuum studio semper memorabile Nomen,*  
*Nullaque de studio nescia terra tuo est.*

Applaudens f.  
 HENRICUS Hein / U.J.D. Prof.  
 in Acad. Gustav. p.t. RECTOR, et Dicast.  
 Reg. Adessor.

19. Adr: Johannes Georgii Gezelius – Aut: Salomon Matthiae (cf. 18) SKB, UUB, H, LNB, Tartu UB  
 GRATULATIO

In sanctis voces audire et reddere Lingvis,  
 Ardua praesentis sunt documenta Dei.  
 Sic jussus monitis CHRISTI, per templa domosque  
 Cum sedet in Solymis coetus Apostolicus,  
 5 Spiritus adveniens et Flaminis instar et Ignis,  
 Vim Numenque suum posse videre dedit:  
 Frigida coelestem senserunt pectora motum,  
 Arseruntque igni, *lingvaque* mensque novo;  
 Mox variis aeterna DEI magnalia *lingvis*  
 10 Novere, et sancto sanctius ore loqui.  
 Pluribus insignis meritis, Vir clare GEORGI  
 GEZELI; nostrae pars generosa Scholae,  
 Felix dicendi tibi copia, plurima fando  
 In variis *lingvis* enumerare vales:  
 15 *Ebraeae* inprimis, *Grajae*, *Latiaeque* Minervae  
 Doctus, Divinum pectore promissus opus.  
 CHRISTUS amore sacro pro nobis victima factus,  
 Quando cruore suo vulnera nostra lavat;  
 Tunc triplici hoc sacrata crucis vexilla coruscant  
 20 *Lingvarum* signo conspicienda Piis.  
 Ede alias alio Studiosis tempore *Lingvas*,  
 Jam depromat opus Grajae Minerva suum.  
 Ut *Vetus* Ebraeo *Testamentum* indice gaudet,  
 Sicce *Novum* Grajae dexteritate nitet.  
 25 *Ebraeae*, *Grajae*, *Latiaeque* sona aemulus urbi;  
 Eloquio ornantur scripta diserta tuo.

Ita Reverendo et Clariss. Dn suo Collegae, Amico  
 sincero, gratulari voluit  
 M. SALOMON MATTHIAE,  
 SS. Th. P.P. et ad D. Joh. Pastor.

20. Adr: Johannes Georgii Gezelius – Aut: Jonas Ficinus (cf. 18) SKB, UUB, H, LNB, Tartu UB  
 GRATULATIO

Vir sacrae Decus Eusebiae, Sophiaeque Magister,  
 GEZELI, Aonij clara Corona Chori:  
 Te Duce, jam Graji sermonis Janua prostat,  
 Ante Annum tersis continuata Typis:  
 5 Jam tua praeclaram prospectant Lexica Graja  
 Lucem; et sunt doctis docta legenda Viris.

*Ardua solertis felix Industria curae  
 Claret, et Ingenij dexteritate Labor.  
 Verborum gravium veneranda scientia claret,  
 10      Lingvarum claret candida notitia.  
 Claret Divinae praestans Prudentia mentis;  
           Judicium, et mentis nobile claret opus.  
 Vive Deo, sanctae incolumis bene vive Camoenae;  
           Non labor in DOMINO vester inanis erit.*

Domino Fautori et Amico meo Singulari  
 gratulabundus transmissi  
 JONAS FICINUS, Districtus  
 Rigensis Praep. et Past. in **Lö digger**.

21. Adr: Johannes Georgii Gezelius – Aut: Christianus Jheringius (cf. 18)

SKB, UUB, H, LNB, Tartu UB  
 GRATULATIO

Clare Vir, Hebraeae et Grajae Sapia lingua,  
 GEZELI: Graecas fervens ornare Camoenas  
 Pergis, ut hinc Muis nitidissima commoda surgant;  
 Quae tibi pro meritis parient per secula famam.

Dn. Praecept. ac Hosp. quondam desideratiss. app.  
 CHRISTIANUS JHERINGIUS.

22. Adr: Gustav Adolph – Aut: Laurentius Ludenius (Augustissima magnificentia, /.../ Christinae, /.../ Svecorum, Gothorum, Vandalorumque reginae, /.../ in Regiam Gustavianam Adolphinam Academiam, quae Dorpati /.../ est /.../ quam, /.../ oratione solenni, die 17. Januarij, anno 1649. Cum vacationem a professione oratoriae ac poëseos, /.../ consecratus esset, /.../ aeternitati consecrabat Laurentius Ludenius, Ph. et U.J.D. poëseos exprofessor. Dorpati Livonorum, 1649: J. Vogel)<sup>57</sup>

SKB, UUB, Växjö LB, H, [Tartu UB]  
 DEDICATIO

REX

GUSTAVUS  
 ADOLPHUS.

*Per Anagramma;*

REX

AUGUSTUS  
 HAS DVPLO.

*SS. Reg. Maj. <sup>tis</sup> Symbolum:*

CUM DEO ET VICTRICIBUS ARMIS.

*Gratia, Christe, tua est; Patriae Civemque Patremque  
 Quod gero, Res Sancti curo quod Imperij.*

*Gratia, Christe, tua est; quod Res Victricibus Armis  
 HAS REX AVGVSTVS conduplicando DVPLO.*

5      *Christo Dante, mea Phoenix in Prole renatus  
           Vivo: Deo Vivat Regia Progenies!*

23. Adr: Henricus Hein – Aut: Andreas Virginius (Sceptra academicis, quae, /.../ in Regia Gustaviana Adolphina Academia, quae Dorpati /.../ est /.../ in /.../ Henricum Heinium, U.J.D. juris professorem /.../ et Regij Dicasterij ibidem assessorem /.../ rectorem jam magnificentum, /.../ Andreas Virginius, /.../ SS. Th. D. /.../ ejusdemque professor primarius, ut et protosynedrij assessor /.../ jam ex-rector

<sup>57</sup> Idem 1636.25; 1643.46-47; 1644.15; 1645.47; 1646.19; 1647.37; 1648.25.

magnificus, illustri pompa sollemnique ceremonia die 10. Januarij, anno 1649. publice /.../ conferebat; quaevis fausta precabantur Musae Embecciaes. Dorpati Livonorum, 1649: J. Vogel)

UUB (def), [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Eunomiae et nostri decus immortale Lycei,  
O HEINI, Clari pars generosa chori:  
Dum novus exoritur votis pulcerrimus annus,  
Ipse novi trado Sceptra tibi officij.*  
5 *Det Deus, ut tradam simul optatissima quaevis;  
Officij et felix Annuus orbis erit.*

Sic gratulatur  
Andreas Virginius,  
SS. Theol. D. et P.P.

24. Adr: Henricus Hein – Aut: Laurentius Ludenius (cf. 23)

UUB (def), [Tartu UB]  
GRATULATIO

*HENRICE o HEINI, Themidos gravitate Sacerdos,  
Eunomiae Doctor, nostri decus usque Lucei:  
Quod Pater aethereus, rerum cui summa potestas,  
Felix et faustum totis velit esse diebus:*  
5 *Inde; ubi de mediis circum assilientibus undis  
Urbs prima exurgit sancti Stokholmia Regni,  
Tu quoties has ipse redux decurris ad oras,  
O toties nostris adfers nova commoda Athenis.  
Tu proponebas Orator humillima vota, (Anno 1637.)*  
10 *Quae quondam orabant Regalia Numina Musae;  
Divi et Progenies GVSTAVI Regis ADOLPHI,  
Aeterni Soboles Herois Regia: sancta  
Heroina, Decus Patriae, CHRISTINA: Serena  
Arctoo Regina Throno Solioque verenda,*  
15 *<Annuit Illustri><sup>58</sup> sensu, Indultoque beato  
Ad CHRISTI laudem in medium donaria ponit.  
Optata accipimus diffusi jugera campi  
Agrestesque Lares, et certa mapalia; ceu sunt  
Quadringentae Hubae, triginta tresque relatae*  
20 *In decies septem et quatuor pulcro ordine pagos,  
Hic ubi confinis bellacibus Ingria Moschis:  
Gaudeat ut tantis crescens Academica donis,  
Paulatim et propriis flavescat campus aristis.  
Jam proponebas Orator humillima vota, (Anno 1648.)*  
25 *Quae nostra orabant Regalia Numina Musae:  
Atque salutaris magnum Jovis Incrementum,  
Sancta CHARIS, CHRISTINA CHARIS, Regina Serena,  
Annuit Illustri sensu, Indultoque beato.  
Atque reservatum quicquid fuit ante Coronae*  
30 *Dictos per campos et per magalia tota;  
Omne dat id nostris Clementia Regia Musis.  
Dat cedris digna aeternis nitidissima Scripta  
Eusebiae, Eunomiae, Panaceae et Pallados almae;*

<sup>58</sup> Textus corruptus U

Quae nostris cedent sancte sacrata Camoenis.  
 35 Inde Professoris quando calor ossa relinquet,  
 Seque minutatim pergunt disperdere sensus;  
 Ne *Vidua* invitis inconsolabile vulnus  
 Sortibus aegra gerat, lacrymis liquescat et actis;  
 Pro meritis statuet Regalia dona cuique,  
 40 *Regia* Pauperibus bene prodiga *Dextera* Musis.  
*Inclyta Progenies Regum, Regina Serena,*  
 Quis poterit meritas digne persolvere grates?  
 Aeterno cujus sub Numine nostra Camoena est,  
 Omnipotens rerum DOMINVS, Monas et Trias una,  
 45 Persolvat meritas grates, et praemia ponat.  
 Nulla operis famam poterit delere Vetustas:  
 Posteritas totum laudes extendet in aevum.  
 Et, *tu Clare HEINI, Themidos Pietate Sacerdos,*  
 Macte animis, his macte ausis, his macte triumphis;  
 50 Magnifici Officij et venerandas muneris hujus  
 Delicias degusta animis feliciter aequis.  
 Salve! et cum veniet jam terminus ultimus aevi,  
 Dixerit altithroni tibi Patris Gloria CHRISTVS:  
 Euge, tu mi Serve bone et fidelis:  
 55 Tu mihi in paucis fueras fidelis!  
 Magna committam: DOMINI tui intra.  
 Gaudia dexter.  
*Magnifice Ex-Rector, CHRISTI Divine Sacerdos,*  
*Nobile Delicium Eusebiae, sacra Fama Lycei,*  
 60 *ANDREA VIRGINI,* aevum floresce per omne:  
 Una concilias haec RECTOR Gaudia Musis,  
 Magnifici officij dum sancta negotia curas.  
 Salve! et cum veniet jam terminus ultimus aevi,  
 Dixerit altithroni tibi Patris Gloria CHRISTVS:  
 65 Euge, tu mi Serve bone et fidelis:  
 Tu mihi in paucis fueras fidelis!  
 Magna committam: DOMINI tui intra.  
 Gaudia dexter.

Quod animitus app.  
 Laurentius Ludenius, Ph. et J.U.D.  
 Poët. Cor. Prof. Ord.

25. Adr: Heinricus Hein – Aut: Joachimus Crellius (cf. 23)

UUB (def), [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Vota Professorum, gratantis Verba Senatus,*  
*Te signant sceptris; et Tibi scepra Scholae.*  
*Expectant reducem dum vertitur annus in orbem,*  
*Et tradunt placida Sceptra regenda manu.*  
 5 *Accipe Musarum, ceu dignus, munera Fautor,*  
*Et felix annum transige, vive diu!*  
*Gratamur reduci reditum: gratamur honorem;*  
*sis salvus sceptris; sint ea salva Tibi!*

## Aliud.

10 *Clara Tibi scholicos submittit Terpata fasces,  
sive sit amplus honos; seu sit Atlantis onus.  
Tota Novemfilium gratatur turba Sororum,  
acclamans Genio tam bona verba tuo.  
Sceptriger HEINI Tibi Paibaeus Aperta praeoptat,  
Prosit honos oneris; prosit honoris onus!*

honoris ergo appos.  
M. Joachimus Crellius.

26. Adr: Heinricus Hein – Aut: Ericus Holstenius (cf. 23)

UUB (def), [Tartu UB]  
GRATULATIO

Clare Vir, Eunomiae et Themidos venerande Professor,  
HEINI; Gratulor ex animo tibi, quod mea nuper  
Vidit te reducem, felici sidere, Musa.  
Non potuit Pelagus furibundis triste procellis;  
5 Nec tibi praedo ferus, Domino comitante, nocere.  
Musae Embecciaes gratantur: Et insimul omnes,  
Unanimo voto, tradunt tibi Sceptra Lycei;  
Magnificumque suum agnoscunt, et voce Salutant.  
Eunomiae o Doctor, sacrata insignia gestas;  
10 Quae DOMINI in laudem cedant, et commoda Pubis  
Musis sacratae. Mea sic volo claudere vota.

## Aliud.

Enarrent alij, Mysteria magna Jehovae:  
Et dicant alij, quae juris forma sit aequi:  
Herbam, pestiferos novit quae pellere morbos,  
15 Demonstrent alij. Radio surgentia Coeli  
Sydera describant alij; causasque perorent.  
Tu rege Musarum, Doctor <venerande, Cohortem><sup>59</sup>  
Numinis almus honos ut multiplicetur: Et inde  
Commoda percipiant studiis sacrata Juventus.  
20 Sicque tuum semper florebit Nomen in orbe:  
Atque tuas laudes cantabit posthuma proles.

Quod ipsum, Honoris, et fausti ominis  
ergo deprop.  
M. Ericus Holstenius,  
Westmannus.

27. Adr: Heinricus Hein – Aut: Faderus Uraelius (cf. 23)

UUB (def), [Tartu UB]  
GRATULATIO

HEINIVS egregij Juris Venerabile lumen:  
Aonijque chori deliciosus honor:  
Magnifice Illustrat Sceptris Illustribus orbem;  
Magnus; jam Major; Maximus inde cluet,  
5 Sit faustum et felix! Veluti Clarissimus Orpheus,

<sup>59</sup> Margo deest U

*Jam trahit et doctos, et data saxa trahit.*

Ita devote pr.  
M. Faderus Uraelius.

28. Adr: Heinricus Hein – Aut: Johannes Creilingius (cf. 23)

UUB (def), [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Non minus hic vere, quam pulchre dicitur illud,  
Magnus Honos est majus onus. Tibi Maximus ergo  
Dum confertur honos, quis et hoc onus esse negabit?  
At succede oneri, Vir magne; et fortibus ausis  
5 Suffer, quem tribui tibi noster Apollo laborem.  
Et promittit opem pia Musa, et coepta levabit,  
Faxit et, ut cedat majori onus istud honori.*

Quod ὀλοψύχως precatur  
Johannes Creilingius,  
Gvestphalus.

29. Adr: Heinricus Hein – Aut: Martinus von Beerensamb (cf. 23)

UUB (def), [Tartu UB]  
GRATULATIO

M<... solennis><sup>60</sup> concepi gaudia Pompae,  
Et laetos plausus Lux dedit haecce mihi.  
Nam te RECTOREM narravit adesse creatum  
Qui gereres digna SCEPTRA decora manu.  
5 Hac mihi nulla dies illuxit laetior unquam,  
Signet eam niveis gemma corusca notis!  
Aurea nunc flammam incendant astra serenas,  
Et niteant PHOEBEO candidiore Poli!  
HEINIUS in fascem sublatus, PULPITA visat  
10 Magnifico vultu! Dignus honore, regat!  
Me commendo tibi Civem, Clarissime RECTOR,  
At ut morigerum me tueare, precor!  
Vive; tuumque puta sentire et dicere Civem,  
Ut foelix vivas, Et bene SCEPTRA geras!

Martinus von Beerensamb /  
d. M.

30. Adr: Heinricus Hein – Aut: Petrus Horn (cf. 23)

UUB (def), [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Est Virtutis Honos, alimentum nobile semper:  
Virtutem insequitur divite fama via.  
Testis ad haec, HEINI Themidos Clarissime Doctor;  
Magnifici hinc Sceptra Clarus es officij.  
5 Est praeclara nitens tua Virtus; Sceptra nitescant,  
Sitque Honor officij fulgida gemma tui.*

Quod animitus precabatur  
Petrus Horn /  
Dabera Pom.

31. Adr: Heinricus Hein – Aut: Zacharias Koch (cf. 23)

UUB (def), [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Magnifici sancto officij tangaris honore,*

<sup>60</sup> Margo deest U

*HENRICE o HEINI, dum tibi Sceptra nitent.  
Non erit, os Populi qui commeruisse recuset:  
O tibi perpetui Nominis ardor erit!*

Quod unice precatur  
Zacharias **Koch** / Pritzwald.  
Marchiacus.

32. Adr: Heinricus Hein – Aut: Dionysius Günterhake (cf. 23)

UUB (def), [Tartu UB]  
GRATULATIO

Ornasti Musas absens, quibus augmina quaeris;  
Ornat et absentem Musa, decusque parat.  
Hinc tibi decernit fasces, *Vir clare*, gerendos,  
Dorpaticae tradens splendida Sceptra Scholae.  
5 Gratulor ex animo, *Fautor*, pia verba precatus;  
Hoc regimen felix suscipe; Vive, Vale.

Ita aggratulatur  
Dionysius **Günterhake** /  
Rugia-Pomeranus.

33. Adr: Heinricus Hein – Aut: Andreas Hellenius (cf. 23)

UUB (def), [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Mvsarum cultor ZENO, vir clarus in orbe;  
Sanctam justitiam si tota mente colamus,  
Non Injustitiae, dixit; locum in orbe relinqui.  
Inde exornatur Sceptris Aequumque Piumque.  
5 Et desideris Te, Consultissime Doctor,  
Certat Musa sacra tunica exornare: Simulque  
Magnificum plena Rectorem voce salutat,  
Gratulor officiis his, Rector Magnifice HEINI;  
Sit tibi laus, decus, altus honos, sit gloria felix!*

Ita Magnifico Dn. Rectori Gratulari  
voluit  
Andreas Hellenius,  
Arosia Westmann.

34. Adr: Heinricus Hein – Aut: Thomas Kühn (cf. 23)

UUB (def), [Tartu UB]  
GRATULATIO

HENRICUS HEIN, U. J. DOCTOR, ET PROFESSOR  
REGIIQUE DICASTERII ADSESSOR:  
*Ἀναγραμματιθεις*  
VIR! FER SCEPTRA, REDDE RECTORI, QUIA INCES-  
SIT: O HONOS! I, HOS REGE, DIU SIS.

*Enodatio.*

Jam *Novus* INCESSIT Rector! *Clarissime* Doctor,  
*Magnifice o Rector, VIR Pietate potens!*  
HEIN QUIA successit, quaerens Academica SCEPTRA:  
FER cito; Rectori REDDEque SCEPTRA novo.  
5 Nonne is HONOS magnus gestare Academica SCEPTRA?  
VIR, Themidos fama consiliisque potens.  
Nonne is HONOS magnus, titulum RECTORIS habere?

10 Magnificum felix evehit Artis HONOS.  
 Vive, Vigeque novis titulis; I laetus honore,  
 Musarum germen prosperitate REGE.  
 HOS REGE clementer Pietatis et Artis Alumnos,  
 Quas jurare pie splendida SCEPTRA jubent.  
 SISque diu lenis regnando, *Candide Fautor,*  
*Magnifice o Rector, Vive, Faveque. Vale.*

*Chronodistichon.*

15 AVrIbVs haeC, o SanCte DeVs, preCor eXCIpe Vota,  
 ChrIste; IVVa nostras ponDVs habere preCes.<sup>61</sup>  
 Magnifico Dn. Rectori omnia felicia  
 praecatus scripsit  
 Thomas **Kühn** /  
 Riga-Liv.

35. Adr: Heinricus Hein – Aut: Daniel Eberhardt (cf. 23) UUB (def), [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*En quid concentu Musarum Turba triumphat?*  
*Soepius ingeminans: Redamant alterna Camoenae.*  
*RECTOR RECTORI tradit fulgentia Sceptra,*  
*Queis lenis tangat vel frangat Corcula Phoebi.*  
 5 *Hincce regas RECTOR: Praebe tua Sceptra regendis,*  
*Vt regimen crescat, simul et tua gloria vivat.*  
 Ita gratulari voluit  
 Daniel **Eberhardt** /  
 Gryphisw. Pom.

36. Adr: Heinricus Hein – Aut: Georgius Gezelius (cf. 23) UUB (def), [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*HEINIVS, Eunomiae Doctor, pia pulpita scandit,*  
*Vt capiat nostri jam Sceptra regenda Lycei.*  
*Munus erit nostrum, Rectori fausta precari,*  
*Magnifico possit felix ut munere fungi.*  
 5 *Magnifice o Rector, nostri pars prima Lycei,*  
*Salve, Vive, Vige; sic semper Musa fovebit.*  
 Gratulabundus apposuit  
 Georgius Gezelius.

37. Adr: Heinricus Hein – Aut: Jonas Ficinus (cf. 23) UUB (def), [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Annua laetae*  
*Concelebrantes*  
*Jugiter omnes*  
*Gaudia Musae;*  
 5 *Conveniunt in*  
*Vertice Pindi:*

<sup>61</sup> Chronodistichon annum 1649 exhibens

*Deposita alti*  
*Sceptra Lycei*  
*Jamque reportat*  
 10 *HEINIVS Heros:*  
*Inclyte Doctor,*  
*Plurima fausta*  
*Comprecor ipse*  
*Pectore toto*  
 15 *His bene Sceptris.*  
*Vtere felix:*  
*Gloria CHRISTI*  
*Multiplicetur*  
*Omne per aevum.*

Ita unice suspiciendo Dn. Promotori  
 suo vovet  
 Jonas Ficinus,  
 Junior Liv.

38. Adr: Heinricus Hein – Aut: Albertus Dobbin (cf. 23)

UUB (def), [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Inclyte Doctor,*  
*Maxima nostri*  
*Fama Lycei;*  
*Dante Jehova,*  
*Jam Novus ille*  
 5 *En redit Annus.*  
*En redit una*  
*Gloria pulchra:*  
*Magnifici illa*  
*Officij alta*  
 10 *Sceptra vicissim*  
*Te referuntur.*  
*Annuat almi*  
*Arbiter orbis;*  
*Et pia semper*  
 15 *Gloria CHRISTI*  
*Crescat: ubique*  
*Candida Musae*  
*Fama triumphet:*  
*Et tua semper*  
 20 *Gloria crescat.*  
*Sic Novus Annus,*  
*Sic Novus ille*  
*Hic Honor omni*  
*Parte, beato*  
 25 *Fine triumphet.*

Quod unice precatur  
 Albertus **Dobbin** / Rostoch.  
 Megapol.

39. Haquinus Amberni Printzius – Aut: Daniel Gruuf (Threnodiae in /.../ obitum ac abitum /.../ Haquini Amberni Printzii, Westro-Gothi, ecclesiae Christi, quae in Kinnewedh Westro-Gothorum colligitur pastoris /.../ die 7. Februarij anno 1649. /.../ denati, atque 5. Junij /.../ illati; /.../ decantatae a Daniele Gruuf Nycopensi, Sveco, SS. theologiae studioso. Dorpati Livonorum, 1649: J. Vogelius)

UUB, [Tartu UB]  
EPICEDIUM

## I.

HAQUINUS AMBERNI PRINTZIUS,  
PASTOR IN CINEVEDH:

*Per Anagr. dupl.*

QVIN NUNC ME TRAHIS ZEBATH RUPES  
IN PIA, DIURNIS.  
HINC BEATUS QUI IN ZONA TRIUMPHAS,  
SPERNE, DIURNI.

Pie def. Mariti et Uxoris Superstitis Dialogus.

- M. Dic age, dic quid sit pia vitae caduca, Marita,  
Qui tenuis celeres ceu fumus transit in auras:*
- U. Nil nisi bulla, vapor, pulvis, flos, ventus et aura,  
Fragmentumque luti, fumus, ros, nix, glaciesque,  
5 Hunc vexant rixae, falsae hunc petulantia linguae  
Innocuum laterant morsu, hunc sors dura fatigat.*
- M. Hocce quidem fateor mea dilectissima conjux:  
Ergo Deus Zebaoth rupes mea laus tibi constet  
Quod modo tam fragilem voluisti abrumpere vitam,  
10 Nec me torqueri morbis curisque diurnis  
Quin nunc me laetum trahis in pia gaudia vitae.*
- U. Hinc adeo es faelix omnique es parte beatus  
PRINTZI, qui in coeli Zona post fata triumphas,  
Nam te non vexant curae morbique diurni,  
15 Praesentis vitae fallacia gaudia sperne.*

*Ἐτεόστιχον.*

HaC ego nVnC pLaCIDe HAQVINVs reqViesCo sVb Vrna,  
EXpeCtans CLarae CLassICae CLara tVbae.<sup>62</sup>

## II.

*Acrostichis.*

- |    |   |     |
|----|---|-----|
|    | H EI! Sua <i>Pierides</i> feriunt praecordia Mus  | AE, |
|    | Dum rursus queruli causa doloris ades             | T;  |
| 20 | A h! trahit ex imo Phoebus suspiria cord          | E,  |
|    | Sollicitoque gemens spargit ab ore juba           | R!  |
|    | Q uaestus adest magnus, nullum dant cymbala carne | N,  |
|    | Argutae maerent plectra canora lyr                | AE. |
|    | U ngvibus Eumenidum jacet ardua Buccina Verb      | I,  |
| 25 | HAQUINUS, mortis cur ita saevit ago               | N?  |

<sup>62</sup> Eteostichon annum 1649 exhibens

	I n festo mortis jacet atrae stratus ab ict	V,
	Qui docuit populum dogmata sancta De	I.
	N onne opus est fletu? quoniam immutabilis ord	O
	Is manet, ut flectat fata severa nihi	L?
30	V ivaces Musae perfundunt imbribus or	A,
	Et merito citharae doctaque nabra silen	T.
	S ic rigidae mortis cadimus vah! falce sever	A,
	In Mundo nobis mansio nulla mane	T.
	A st quamvis versat rigida Mors omnia sorte	E,
35	Ille pie in Christo vivit ovatque tame	N.
	M aesto quid prodest lacrumas effundere cord	E?
	Proh! cito transit Homo, vah! cita vita fugi	T.
	B ulla, vapor, pulvis, glacies, ros, plena venen	I,
	Haec vita est, Solis victa calore ros	A;
40	E st contra in coelis honor haud jucundior unqua	M,
	Ac voce aeternum tollere ad astra Deu	M.
	R aptim Morta licet contriverit hunc cito mors	U
	Caetibus Angelicis mixtus ovatque tame	N.
	N unc igitur gemitus soboles orbata Parent	E
45	Sistas, in coelis vivit amore Pate	R.
	I n Christo faelix claudit qui fata suprem	A
	Tollit ad astra Deum pectore, voce, man	V.
	PRINTZIUS exultans agit inter sydera coel	I
	Cunctaque sub pedibus gaudia vana vide	T.
50	Linquens contemptae ruitura mapalia fert	AE
	Nunc canit excelso Carmina grata	DEO.

## III.

## Luctus Filij ob denatum Parentem.

	<i>AH! Nunc funerea mea Musa recincta cupresso,</i>
	<i>Luctisonis fundit verba ligata modis,</i>
	<i>Pulsaque flebilibus resonant mea barbita nervis,</i>
55	<i>Et chelys illepedo perstrepat icta sono.</i>
	<i>Namque ego dilecti spoliatus amore parentis,</i>
	<i>Nunc didici charum quid sit habere patrem.</i>
	<i>Nam sua nemo prius novit, quam perdidit illa</i>
	<i>Quae bona possedit, Plautus ut ipse refert.</i>
60	<i>O dolor! O maeror! res o gravis! o grave vulnus!</i>
	<i>Discessit Genitor, spes mea, vita, decus.</i>
	<i>Ante meos oculos Patris heu! morientis imago,</i>
	<i>Errat et immemorem non sinit esse sui.</i>
	<i>Mensa mihi tristis, paries, conclavia, lectus,</i>
65	<i>Quorsum flecto gradum nil nisi luctus adest.</i>
	<i>O dolor! O maeror! o res gravis! o grave vulnus!</i>
	<i>Quo me transversum sors inimica trahis!</i>
	<i>Sed mihi solamen manet alta mente repostum,<sup>63</sup></i>
	<i>Rebus in adversis quod medicina mea est.</i>

<sup>63</sup> *repostum pro repositum* edd metri causa

- 70 *Ossa Patris quamvis terrae contantur arenae  
Non tamen in nihilum credo redire queunt;  
Ultima lux sed cum perituro iluxerit orbi  
Ecce tubae surgent vivificata sono.  
Interea viduae pupillorumque patrone*  
75 *Mecum Matre fove, protege, CHRISTE, precor.*

*Ἔτεο και ἡμερόστιχον.*

SeptIMA UbI obsCVro LVX FebrVa ConstItIt ortV,  
PRINTZIVS In CoeLLIs teCta saCrata petIt.<sup>64</sup>

IV.

Sonsens Klagan ö ffwer Fadrens dö dh.

1.

- Echo I diupa Dalar*  
gif ifron tigh stort Skall/  
80 När jagh min Så rg uthtaalar/  
ö fwer min Faders Fall:  
Wäter Tå rar mitt Brö dh  
uthi min stora Nö dh/  
hwem ähr then migh hughswalar  
85 min Fader ähr nudö dh.

2.

- Migh tillra Tå rar strijda/  
hwart uth jagh monde see/  
ähr ey annatt än Qwijda/  
Hiärtans å ngest och Wee/  
90 Dagar och Nätter lå ngh/  
siungar jagh Klago-Så ngh/  
att nu min Fader blijda  
wandrat haar Wärdßend Sá ngh.

3.

- När the tijender onda  
95 migh utur Swea Land/  
tillhanda komma monde/  
till then Lijfländsche Strand/  
Att Dö den medh sin Skaar/  
min Fader rö fwat haar/  
100 giorde thee migh stor' wända/  
fijk Särger paar widh haar.

4.

Wente migh sá fö rnimma/  
att alt Tingh stodo wäll/

<sup>64</sup> Eteostichon annum 1649 exhibens

105 män men annat befinna/  
 ach Orätt och Oställ!  
 Dödh ähr nu Fadren tin/  
 woro tijender min/  
 ach! Heeta Tárar rinna  
 och tilldra aff min Kin.

## 5.

110 Doch weet jagh till min Wánda/  
 stoor Trö st utaf Gudz Ordh/  
 man skall igen upstånda/  
 blir ey i swarta Jordh/  
 Och in i Himmels högd/  
 115 till glädie Lust och Frögd/  
 medh all Gudz Barn imgånga/  
 tijt ähr mitt Hierta bögdh.

## 6.

Gudh the sina städz agar/  
 spijkar medh Tárars Brödh/  
 120 och många sárge Dagar/  
 för theras syndar snödh/  
 Doch äfter hiertans Wee/  
 monde han them betet/  
 när honom sá behagar/  
 125 frögd och hugswalelse.

## 7.

Nu! Gudh min Fader kära  
 trösta mit Sárga modh/  
 och wärdes migh beskära/  
 hwadh migh pá thenna Jordh/  
 130 ähr nyttigdt; HERre blidh/  
 tagh bort min Guck ock och Qwijdh/  
 titt hálga Nampn till ähra/  
 thet ähr min dagligh ijdh.

## 8.

Och när som jagh skall lända/  
 135 hädan af thenna öö/  
 wärdes tin Nádh migh fända/  
 att jagh má saligh döö/  
 Och war migh JEsu näst/  
 tu som min Frällsar äst  
 140 uti min sidsta ända  
 thet begärrar jagh mäst.

## 9.

Att jagh i tina Händer

145           uti min sidsta Nö dh/  
               min Siäl medh Trona sänder/  
               när kämpa Lijk och Dö dh/  
 Och så saghtmodeligh  
               insompna Gudi tigh/  
 och medh thee helge Englar/  
               Frö gdas Ewinnerligh.

10.

150   Pá hwadh sätt tigh behagar/  
           medh Kriqh áller Krankheet/  
 jagh skall ända min Dagar/  
           ähr jagh altid beredh/  
 155   Anten pá Siö ellr Sandh/  
           när/ állerfiärran Landh/  
 pá tigh jagh altidh lijkar  
           wärdes taga min Andh.

V.

HAQUINUS AMBERNI PRINTZIUS, Vestro-Gothia Svecus,  
 quondam Pastor in **Kinnewed** Vigilantissimus, nunc beatissimus.

*Per Anagramma, in quo Defunctus et vidua colloquuntur.*

**D.** Vera me toga vestit Dn. Zebaoth, **V.** Quinam?

**D.** Christus, nonne KIRSTIN una vides? quin angelus sim.

**V.** is et ibis ovans cum prius pius.<sup>65</sup>

**D.** Ecce toga Dominus vera me Zebaoth *ipse*

*Vestit. V. Die quinam? D. Christus. V. is ipsa salus.*

160   **D.** Nonne vides una KIRSTIN *svavissima conjunx;*

*Angelus ut Christo consociatus eam.*

*Soepe sinistra cava praedicit ab ilice cornix*

*Et garrit falsum devia carmen avis.*

*Hosce feras casus, quaeso, patienter acerbos,*

165           *Justus enim judex praemia Jova dabit.*

**V.** una quin *tecum sim juncta per omnia, posco,*

*Nunc is et ibis ovans cum prius ipse pius.*

**D.** HIC IaCeO HaqVInVs DIVInI BVCCIna VerBI,

At faVste teneo LVCIDa regna. VaLe.<sup>66</sup>

40. Adr: Andreas Erici Windbergius – Aut: Ambernus Printzius (In octo libros Physic. Aristot. *περὶ τῆς φυσικῆς ἀκροάσεως*, sive de naturali auscultatione disputatio trigesima prima, continens nobiliores notas et quaestiones cap. 10. et 11. lib. 4. a text 87. usque ad text. 108. Quam in Regia Academia Dorpatensi /.../ proponit et publicae disputationi subjicit Johannes Erici Stregnensis, /.../ respondente Andrea Erici Windbergio, /.../ die < > Januar. 1649. Dorpati Livonorum, 1649: J. Vogelius)

H, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

ANDREAS ERICI WINDBERGIUS SUDERMANNUS.

*Per duplex Anag.*

<sup>65</sup> Anagramma non recte constructum

<sup>66</sup> Distichon annum 1649 exhibens

VINCIS, BREVI ERIS MAGNUS; EN RUDERA! DANDUS.  
ARDUUS IN REBUS DANDIS, AERE REGNUM VINCIS.

*Sedulus ut Miles vitam sub Marte profundit,  
Atque exsangvis humi laesus ab ense jacet.  
Sic Sophiae studiis nunquam tu fraena remittis,  
Qui tuus ecce labor praemia opima dabit.*  
5 Vincis, erisque brevi magnus; rudera en! cito dandus  
*Hinc sacris: Animos Nectare pasce pio.*  
Arduus in rebus dandis, *mox aëre sacro*  
*Sacrum Tu Regnum vincis; Amice Vale.*

Praestantissimo et Doctissimo Dn. Respondenti,  
Amico suo infucato, ita vovebat  
AMBERNUS PRINTZIUS,  
WestGothia Svecus.

## 1650

1. Adr: Olaus Nicolai Bergius – Aut: Haquinus T. Bergovius (Disputatio inauguralis: de magistratu politico: quam /.../ sub praesidio /.../ Joachimi Crellii, /.../ pro gradu et privilegiis magisterij consequendis, publico /.../ examini submittit ad diem < > Julij, /.../ Olaus Nicolai Bergius, /.../ Dorpati Livonorum, 1650: J. Vogelius) UUB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Morum Elegantia et Doctrina Ornatissimo Viro  
Juveni, pro Summo Magisterij gradu erudite disputanti.

*Clarus ut exstiterat at quondam per fortia facta  
Alcides superans (mirum) crudelia monstra,  
Et rapuit spoliū saevo tumidoque Leoni.  
Haud aliter magnos tu nunc Doctissime BERGI,  
5 Egregiosque animi didicisti ferre labores,  
quos monstras, Ἀρχῆς nodos dum solvis acutos,  
scilicet ingenij Vigor est contentio tanta,  
Mox Victor stadij pulchra cluis arte Magister.*

Ut moris ita honoris ergo haec appo-  
nere voluit  
Haquinus T. Bergovius,  
Med. Stud.

2. Adr: Olaus Nicolai Bergius – Aut: Andreas O. Yxtorpius (cf. 1)

UUB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Hos Embecciaes Musae tribuere triumphos,  
Sic doctos animos concomitatur Honor.  
Gratulor ergo tibi: Smalandia gaudet honore,  
gaudet honore tuo, Patria terra novo.  
5 Cum tua sint Laudi, mi Candide Frater Olave,  
Nomina sacrata hinc gratulor ipse tibi.  
Laudem nam praestat Solers Prudentia rerum,  
Et fluit ingenij Candida vena tui.  
Inde Magisterij serto te dexter Apollo  
10 Exornat: BERGI, Laetus honore vale!

Benevolentiae contestandae, nec non fraterni amoris  
 et sinceræ amicitiae Ergo Libens lubensque  
 applaudit  
 Andreas O. Yxtorpius.  
 Smalandia Svecus.

3. Adr: Petrus Brahe – Aut: Johannes Schaeperus (Finnoniae elogia: quae, /.../ in Regia Gustaviana Adolphina Academia, quae Dorpati /.../ est /.../ oratione solenni, die 19. Octobris anno 1650. publice memoriterque /.../ enarrabat Johannes Schaeperus, /.../. Dorpati Livonorum, 1650: J. Vogel)(cf. 26-27)  
 SKB, UUB, Kobenhavn KB, [Tartu UB]

DEDICATIO

SS. Reg. Maj.<sup>tis</sup>  
 Regnorumque Sveciae ac Gothiae Senatori Inclyto,  
*Jllustrissimo et Magnificentissimo Heroi*  
*ac Domino,*  
 DN. PETRO **Brahe**/  
 Comiti de **WisingsBorg**/ L. Baroni de **Rydbo-**  
**holm** et **Lindholm**/ Regni Sveciae Archidapifero, Collegij Regij  
 Judicialis per Regnum Svecorum summo Praesidi, et Judici Provinciali  
 Westrogothiae: Magni Ducatus Finlandiae, Alandiae et Careliae  
 Gubernatori Generalissimo; ut et Westmanniae et Da-  
 lecarliae Judici supremo,  
*Domino suo Gratosissimo,*  
 Vitam, incolumitatem et Felicitatem perpetuam;

Reginae Augustae, Sancti Regnique Senator;  
 Celse Comes; Themidos Gloria celsa Deae:  
 Sancte Gubernator qua se Finnonia mittit,  
 Pacis jube Decus, militiaeque Decus;  
 5 *Pectore dum grato benefacta verenda revolvo;*  
*Maxima, Celse Heros, sunt benefacta tua.*  
*Ipse mei semper Patris benefactor habetis,*  
*Auxiliatrici me relevasque manu.*  
 10 *Si mihi suppeterent auri numerosa talenta,*  
*Non possem meritis digna referre tuis.*  
*Fecero, quod possum; cum sit mihi curta supellex,*  
*Historiam Patriae doque dicoque meae.*  
*Accipiat placidis animis, Clementia vestra:*  
*Et vivat Musae sancta medela meae.*

Ita devote precatus,  
 In humilimam speratae spem promotionis  
 Devote et reverenter  
 Dat, D. D.  
 JOHANNES SCHAEPERUS,  
 Abogia Finlandus, LL. Stud.

4. Adr: Christina – Aut: Laurentius Ludenius (Augustissima coronationis solennitas; qua /.../ Christina, /.../ Svecorum, Gothorum, Vandalorumque juxta /.../ regina, /.../ Ubsaliae, anno 1650. /.../ coronabatur; oratione solenni; juxta /.../ Svetici Gothique in patria regis et gubernatoris elogia /.../ ipso coronationis die, Dorpati publice /.../ introducebatur; et /.../ posteritati /.../ proponebatur a Laurentio Ludenio, /.../. <Dorpati>, 1650: J. Vogelius) SKB, UUB, Kobenhavn KB, [Tartu UB]

ENCOMION

*Serenissimae et Potentissimae Principi*

*ac Dominae,*  
 DN. CHRISTINAE,  
 Dei Gratia, Svecorum, Gothorum, Vandalorumque  
 Reginae, et Principi Haereditariae; Magnae Principi  
 Finlandiae; Duci Esthoniae, Careliae, Bremae, Ver-  
 dae, et Pomeraniae; Principi Rugiae; Dominae  
 Wismariae et Ingriae, etc.  
*Piae, Felici, Victrici, Augustae, Inclytae, etc.*  
 Dominae et Reginae suae Clementissimae;  
*Vitam, Incolumitatem, et Felicitatem perpetuam.*

*Qui Regna et Populos; Vrbes Pacemque Togatam  
 Ipse regit; Magnique Orbis moderatur habenas;  
 Reginae, Regnoque diem det Honore Serenum.*  
 Heroina, Decus Patriae CHRISTINA, Serena  
 5 Divi Progenies GUSTAVI Regis ADOLPHI,  
 Arctoo Regina Throno Solioque verenda:  
*Sceptrorum Vis sancta micat! te Patrius Orbis  
 Reginam Sanctam demissa voce salutat!  
 Ardua sic meruit Virtus, quaeque omine fausto  
 10 Gloria Nominibus te concomitatur Avitis!  
 Flos vernans, Veterum et Virtus Nitidissima Regum;  
 Heroum Sangvis; Fasces Regniusque verendos  
 Majestatis Apex Morum submittit Honori.  
 Ingenium, et Rerum fato Prudentia major;  
 15 Coelica mortales armat Sapientia mentes.  
 Reginae mandatur opes, orbisque tributa  
 Possessi, et quicquid venas rimata sequaceis  
 Abdita pallentis fodit solertia Bessi.  
 Augustae sors ampla Domus: Heroica Virtus  
 20 Te sibi supposuit, Laudumque arrexit amore  
 Pectus, et Imperio dignas formavit ad Artes,  
 Vt felix Haeres, MAGNI Vestigia PATRIS  
 Magna mente premas; et Avorum Summa reponas  
 Lumina, quae totum factis ingentibus Orbem  
 25 Condecorant, memoresque replent in secula fastos.  
 Dulce est, Reginae sanctis advescere jussis;  
 Ceu quondam Populos vis Augustaea volentes  
 Virtutum Imperio victrix sine coede regebat.  
 Illustris magni Custos Clementia Mundi,  
 30 Quae Jovis incoluit Zonam; per tempora rerum  
 Frigoris et flammae mediam quae temperat aethram,  
 Est vivis annexus amor; meminisse sepultos  
 Incipit in Sobolem; splendescit Gratia Patrum!  
 Vive Decus Regni; Reducis Tutela Quietis,  
 35 Ad cujus numeros Superi vertuntur et Imi:  
 Sit Fidei Sanctum Foedus Pacisque tributum!*

Ipsa Augustissimae Coronationis Die  
 Humilimo animo et calamo  
 humilime apprecabatur

Laurentius Ludenius, Ph. et U.J.D.

5. Adr: Johannes And. Dryander – Aut: Joachimus Crellius (Dissertationis de natura historicae et de modo recte tractandi studium historicum. Disputatio posterior exhibens requisita reliqua cognitionis et applicationis, ut 2. Modum redigendi historias ad ordinatum systema. 3. Monita politica eruenda. 4. Usum et applicationem ad casus quotidie emergentes. Quam /.../ in Regia Academia Gustaviana publicae /.../ censurae submittent /.../ Joachimus Crellius, /.../ et Johannes And. Dryander, /.../ die <8. Februarij> Augusti /.../. Dorpati Livonorum, 1650: J. Vogelius) H, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Juveni Philohistori,  
Eruditionis et Modestiae laude  
conspicuo.*

*Sacrorum vates, Sapientes, Histores olim  
in Celtis Druides praeminuere viri.  
Vates in Dryadum Lucis sacra querna parabant,  
Thau, Heso-Belenu-tum Thamarique, DEO.  
5 Thau in fronte suum, Thamarinque in stirpe locabant,  
A laeva et dextra Belus et Hesus erant.  
Inde Magi tacite Naturae arcana librabant,  
Pergebantque suum cuncta docere gregem.  
Histores intextos cantabant quercubus hymnos,  
10 Heroumque simul fortia facta virum.  
Ecce tibi hic Druidum, credo, sacer ordo vel ortum  
E Scythis, vel cognomen, Amice, dedit.  
Ergo imitare tuis feliciter aemulus ausis,  
Gentis et Historiam prome, reconde tuae.  
15 Quod tibi surget opus, Patriaeque Deoque placebit,  
Gloria nec Druidum parva Dryander eris.*

Ita cum voto applaudit  
Praeses.

6. Adr: Johannes And. Dryander – Aut: Johannes Creilingius (cf. 5)

H, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Qui cupit Historiam bene nosse, et rectius uti,  
Servet et observet quatuor ista probe.  
Autores volvat, Systema recolligat artis  
ac Monita inde petat, quae simul Acta regant.  
5 Hoc facis, Historiam quin noveris ergo Dryander,  
Nil dubito, coeptum provehat usus opus!*

Quod vovet amico suo singulari  
Johannes Kreilingius,  
Gvestphalus.

7. Adr: Daniel Gruuf Nycopensis – Aut: Elaus N. Tollenius (Disputatio theologica anniversaria in Psalmum secundum Davidis selectissimas notas exhibens, publicae censurae subjicietur in Regia Academia Dorpatensi, praeside Andrea Virginio, /.../ respondente Daniele Gruuf Nycopensi, /.../ d. <> Febr. /.../. Dorpati Livonorum, 1650: Acad. typ.) Rostock UB, H, LAB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Praestantissimo ac Literatissimo  
DN. DANIELI DANIELIS GRUUF/  
de praesenti materia erudite  
disputanti.*

*Res magna est, fateor, Doctorum scripta Virorum  
Felici studio perdidicisse bene:*

*Nam verum certe est: Meminisse fideliter artes  
Emollit mores, nec sinit esse feros.*

5 *Ast inter reliquas, si certent, prima videtur,  
Quae narrat summi iussa verenda Dei:*

*Illa facit justos Christi virtute ministros:  
Illa docet populum, qua datur ire via.*

10 *Hanc, DANIEL, dum prae reliquis sectaris avare,  
Ingenium digna percolis arte tuum,*

*Perge, velut pergis, sacras persolvere chartas,  
Et Dominus studij praemia larga dabit.*

Haec paucula amico affectu reliquit  
Elaus N. Tollenius,  
Comminister ad Aedem  
B. Mariae.

8. Adr: Daniel Gruuf Nycopensis – Aut: Andreas A. Malmenius (cf. 7)

Rostock UB, H, LAB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*O felix Studium, Sacra Biblia discere velle!  
Mortali vera est inde petenda Salus.*

*Nam Christum novisse sat est, nil caetera prosunt,  
Cum Dominus populo dicere jus veniet.*

5 *Coetera mundus amat; cum mundo et sunt peritura,  
Cognitio Christi sed sine fine viget.*

*Haec animo bene perpendis, Daniel Patriota,  
Fervidus hinc tractas Dogmata larga Dei.*

10 *Macte pio studio sacrati codicis! Ecce  
Nulla tuum poterit fama tacere decus.*

Dn. Sympatriotae Amico svaviss.  
haecce gratulab. appos.  
Andreas A. Malmenius,  
Sudermannia-Svecus.

9. Adr: Daniel Gruuf Nycopensis – Aut: Georgius Wittingius (cf. 7) Rostock UB, H, LAB, [Tartu UB]

GRATULATIO

DANIEL DANIELIS GRUUF,

*Per Anagr.*

IN ILLA SURGE FIDE! UNDA!

*Sancta Fides, Thesibus quam tu proponis: IN ILLA  
SVRGE FIDE Felix VNDA salutis erit.*

Lineas hasce in honorem perdilecti  
Amici amica crena duxit  
Georgius Wittingius,  
Goldinga-Curlandus.

10. Adr: Daniel Gruuf Nycopensis – Aut: Sebastianus Wirdig (In salutiferam nativitatem Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, oratio metrica: quam /.../ in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati est /.../ die 22. Decembris anno, /.../ <Chronogr.: 1649> publice et memoriter /.../ enarrabat, Daniel Gruuf Nycopensis, /.../. Dorpati Livonorum, 1650: J. Vogelius)

SKB, UUB, H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Literatissimo Dn. Peroranti.*

Volve, revolve, pio cunabula carmine, Christi,  
Volve ea, volve pio corde, revolve, tuo.  
Non est, mi DANIEL, potior, non pulcrior orbe  
Cognitio, CHRISTI cognitione Tui.

Sebastianus **Wirdig**/  
Med. D. et Prof. P.

11. Adr: Daniel Gruuf Nycopensis – Aut: Andreas Windberg (cf. 10) SKB, UUB, H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Quisquis amat JESVM, JESVM quoque laudibus effert;  
JESV nil ipso dulcius esse potest!  
Sit JESVS tecum: Placidi scrutetur amorem  
Cordis; te sancto Flamine rite regat.*  
5 *Coepisti ut dextre, sic pergas, Candide Frater;  
Dilige tu JESVM, sis pietatis amans;  
Sic hinc aeternae quaeres praeconia fama,  
Inque solo poteris noscere regna poli.*

In syncerae amicitiae tesseram vili Stylo  
ac filo contexuit

Andreas Windbergius,  
Telga-Sudermannus.

12. Adr: Daniel Gruuf Nycopensis – Aut: Johannes Schaeper (cf. 10) SKB, UUB, H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Sancta est res Pietas; et sanctos reddit amantes  
JESUM, qui natus verus HOMO atque DEUS.  
Et sursum semper se tollunt corda Piorum,  
Thesaurum ut sumant dexteriore Fide,  
5 *Quem simulac capiunt, Mundi illis gloria sordet,  
Nec curant damnum, nec mala fata timent.*  
Sanctos hos sentis motus, *mi candide Amice,*  
Hinc Carmen laetum, dulce melosque canis.  
Nam natum Christum, nobis tua Musa recenset;  
10 *Et recitat Populus jubila vera DEO.*  
Euge! Deus coeptis Coelo benedicat ab alto;  
In laudes vergant Numinis acta tua!

Syncerioris animi declarandi ergo, paucula  
haec adjicere voluit

Johannes **Schäper** /  
Abogia-Finlandus.

13. Adr: Johannes Megalinus – Aut: Joachimus Crellius (Dissertationis de natura historicae et de modo recte tractandi studium historicum disputatio prior exhibens 1. Naturam historicae. 2. Praesupposita geographica, chronologica, politica. 3. Requisitum l. scil. authores, qui et quomodo legendi sunt. Quam /.../ in Regia Academia Gustaviana publicae censurae submittent /.../ Joachimus Crellius, /.../ et Johannes Megalinus, /.../ die <> Augusti /.../. Dorpati Livonorum, 1650: J. Vogelius)

H, SKB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Juveni Modesto,*

Ab Eruditionis et Historiarum studio  
commendabili.

- Est Magnus Coeli Terraeque haec machina Mundus,  
Est parvus quasi sub schemate mundus homo.  
Sed Magnus parvum capit, ut capit omnia, Mundus,  
Namque suo abscondit cuncta fovetque sinu.*
- 5 *Et parvus Magnum capit, en mirabile! mundum,  
Cum loca, personas, tempora resque notat.  
Sic Magnus parvum capit orbis, et hic capit illum,  
Qui capit hic capitur, qui capiturque capit.  
Idque per Historiam, quo gratior illa futura est,  
10 Dum Mundum docta subjicit arte tibi.  
Ut capias Magnum parva sub imagine Mundum,  
Historiam parvus percipe, Magnus eris.  
Huc Megaline, tui quo nominis omen adaeques,  
Summus in Historias te pius ardor agit.*
- 15 *Et labor hic Laudem, promittit Musa coronam,  
Patria mercedem suggeret, aether opem!*

Ita cum voto applaudit  
Praeses.

14. Adr: Johannes Megalinus – Aut: Johannes Kreilingius (cf. 13) H, SKB, [Tartu UB]

GRATULATIO

- Dum Varios casus, rerumque Exempla ministrat  
Historice, Ingenium, iudiciumque polit.  
Historicum quisquis lustraverit ergo Theatrum,  
ille sibi, et studiis consulat ille suis.*
- 5 *Hoc MEGALINE, facis dum nocte dieque volutas  
libros, sic pergas, et MEGALINUS eris.*

Honoris et amoris ergo amico suo  
haud vulgari adposuit  
Johannes Kreilingius,  
Gvestphalus.

15. Adr: Caspar Henricus Pegau – Aut: Laurentius Ludenius (Carmina lugubria in /.../ obitum, /.../ Caspari Henrici Pegau, /.../ Caspari Pegau regij per Livoniam et Ingriam supremi parlamenti assessoris, /.../ filioli /.../ anno 1650. die 24. Augusti nati, 16. vero Septembris /.../ denati, et 19. ejusdem in templo Johannaeo Dorpatensi /.../ humati; scripta ab amicis et condolentibus. Dorpati Livonorum, 1650: J. Vogel)

UUB, [Tartu UB]

EPICEDIUM

PEGAVIO *Puer ille satus de Sangvine, CASPAR –  
HEINRICUS; teneri Floris adinstar erat!  
Ut natus, sacro mox Infans amne renatus;  
Floreque sese Flos induit ille novo.*

CASPAR HEINRICH PEGAVV:

Per Anag.

PUER, HINC AGE PIA; CHARUS.

- 5 *Soepe Pater, Materque; Aviaeque, Atavique locuti;  
Tu, PUER, HINC AGE, quae sunt PIA; CHARUS eris.*

Dixere: At nimium brevis est hic Flosculus aevi;  
 Natus, langvescit Flosculus, et moritur!  
 Eximius CASPAR PEGAVV Pater inde gemiscit,  
 10 CECILIAE **Lemmens** Matris ubique dolor!  
 Hinc Aviae! *Christina* dolet *Paulina*! doletque  
*Margaris* hic **Mejers**! Fletibus ora rigant!  
*Heinricus Lemmens* Avus hinc Maternus, obortas  
 In lacrymas senior cogitur ire pias!  
 15 Sed Patrius *Casparus* Avus, super axe, Nepotem  
 Sic postliminij jure videre cupit.  
 Sic Flos non brevis est, non fluxus Flosculus ille,  
 Qui Paradisiacis consitus halat agris.

Cond. scribebat  
 Laurentius Ludenius, Ph. et U. J. D.  
 Prof. Pub.

16. Adr: Caspar Henricus Pegau – Aut: Erasmus Pegau (cf. 15)

UUB, [Tartu UB]  
 EPICEDIUM

Ad Dn. Fratrem obitum Filioli sui  
 Lugentem.

*Quod Dominus dono dedit, illud sustulit Idem,  
 Ipsi redde lubens, ipsius ante fuit.  
 Filius haud periit: Sacra servantur in urna  
 Ejus, quo vireant, gramen ut, ossicula.  
 5 Molliter haec busto dum custodita quiescunt,  
 Infando fruitur Spiritus ipse bono.  
 Donec in adventu Christi cum corpore junctus  
 Spiritus hic Idem laeta trophaea ferat.*

Συμπάσχων ἔγρ.  
 Erasmus Pegau, Pastor  
 et Proto-Synedrij Livonici  
 Adsector.

17. Adr: Caspar Henricus Pegau – Aut: Ericus Holstenius (cf. 15)

UUB, [Tartu UB]  
 EPICEDIUM

Mors nescit legem; rapit hic cum paupere Regem;  
 Illa necat juvenes, mactat et illa Senes!  
 Nec parcit tenero materni lactis Alumno,  
 Qui nocua nullum traxit ad arma manu.  
 5 Exemplum fati nobis CASPARUS abunde  
 HENRICVS praebet, blanda propago Patris.  
 Blandula planta piae Genitricis, spicula Mortis  
 Praematura videt; praedaque facta necis.  
 Mortis ad antra ruit, sub primo flore perempta;  
 20 Quae multos Soles vivere digna fuit.  
 Sic res sunt hominum! Nil firmum, nil stabile estque!  
 O homo dum vivis sit memor ergo tui.

Τοῖς γονεῦσι ταῦτα συμπάσχων  
 προστέθηκε  
 M. Ericus Holstenius

18. Adr: Caspar Henricus Pegau – Aut: Petrus Horn (cf. 15)

UUB, [Tartu UB]  
EPICEDIUM

Sic in conjugio gravium discrimina rerum  
 Dantur! Sunt fletu gaudia mixta gravi.  
 CASPAR adest HEINRICH; laetantur corda Parentum:  
 Caspar abest HEINRICH; luget uterque Parens!  
 5 Verum tempus erit, quando, Christo auspice, CASPAR  
 HEINRICH, vivus erit; tunc nova gaudia erunt.

Condolentiae ergo apposuit  
 Petrus **Horn** /  
 Dabera Pom.

19. Adr: Caspar Henricus Pegau – Aut: Johannes Bröms (cf. 15)

UUB, [Tartu UB]  
EPICEDIUM

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo:  
 Haec hominisque est sors, mors sua quemque manet.  
 Hinc merito foelix, est terque quaterque beatus,  
 Cui datur hoc duro carcere abire probe.

Condolentiae E. adjecit  
 Johannes **Bröms** /  
 Jenecopia Smoland.  
 LL. Stud.

20. Adr: Caspar Henricus Pegau – Aut: Daniel Gruuf Nycopensis (cf. 15)

UUB, [Tartu UB]  
EPICEDIUM

## Prosopoëia Defuncti.

Ut rosa, dum vitreis Phoebus se tollit ab undis,  
 Undique purpureis crescit amicta comis;  
 Verum ubi devexo cum Sol declinat Olympo,  
 Purpureum flectit falce resecta caput:  
 5 Sic ego qui coepi primum florescere, Mortis  
 Crudeli nimium, falce, resectus eram.  
 Sat cito, quod bene sat; mutavi in gaudia curas;  
 Corpus humo tegitur, Mens tenet astra Poli.  
 Traxi, CHRISTE, meae curtissima stamina vitae;  
 10 Ut vidi variis cuncta repleta malis;  
 Obstupui, retroque tuli vestigia prima,  
 Restituens CHRISTO, quae data dona, meo.  
 Hinc nolite, mei, mea fata dolere, Parentes:  
 Non lacrymas poscit mortis imago meae.  
 15 Mittite moerorem; parvo qui Tempore vixi  
 Pauca etiam vidi, Paucaque sustinui.  
 Discite quam nostrae fallax sit portio vitae,  
 Nam, *qui mane viret, vespere langvet homo.*

Distichon, Annum obitus literis numeralibus  
 apponens.

CASPAR ego HInrICVs PEGAV reqViesCo sVb Vrna haC,

- 20 RItē qVoaD ChrIstI IVDICIs hora VenIt.<sup>67</sup>  
 Hisce Dn. Parentes, Filij, ut optimae spei, sic dilectissimi  
 Abitum inopinum acerbe deflentes solari  
 voluit  
 Daniel Gruuf Nycopensis,  
 Sudermannia-Svecus.

21. Adr: Caspar Henricus Pegau – Aut: Johannes Schäpperus (cf. 15) UUB, [Tartu UB]  
 EPICEDIUM

- Anxia cur tristi fundis suspiria corde  
 Adessor celebris, cur spargis lumina rore?  
 Occidit ante dies, CASPAR scitissimus infans  
 Delicium occubuit Patris, Matrisque voluptas.  
 5 Hancee facit subito immaturam Morta rapinam,  
 Ante dies rumpens sperata stamina vitae.  
 Sed praemissus adest in coelo, perditus haut est;  
 Non rursus huc veniet, sed nos veniemus ad illum  
 Inter coelicolas; ubi clarae stellulae adinstar  
 10 Fulget et aeterno JOVAE grata juba psallit.  
 Siste igitur lacrymas, Genitor, Genitrixque querelas:  
 Nil prosunt lacrymae, nil luctus, nilque dolores.

Anno

FILIVs In CoeLo pIVs en sIne flne trIVMphat,  
 EXCeLso IoVae nVnC sospes IVbILa psaLLens.<sup>68</sup>  
 Συμπάσχων ἔγραψεν  
 Johannes Schäpperus,  
 Abogia-Finlandus

22. Adr: Caspar Henricus Pegau – Aut: Casparus Pegius (cf. 15) UUB, [Tartu UB]  
 EPICEDIUM

- Tendimus ad metam, metam properamus ad unam,  
 Quotquot sub leges mors vocat atra suas;  
 Illa rapit Juvenesque senesque senilibus annis.  
 Vah! ferit Infantes ictibus illa suis!  
 5 Idque docet praesens vere scitissimus Infans,  
 Qui propere in Patrios funere venit agros.  
 Aeternum Superis ibi adest; Pia juba dicit;  
 Concinit Excelso cantica grata DEO.  
 Haec perpauca Consanguineo suo  
 desideratissimo lugens  
 fudit  
 Casparus Pegius.

23. Adr: Matthias Rives – Aut: Laurentius Ludenius (Politices elogia; quae /.../ in Regia Gustaviana Adolphina Academia, quae Dorpati /.../ est /.../ oratione solenni die 9. Octobris, anno 1650. /.../ publice memoriterque /.../ enarrabat Matthias Rives, /.../. Dorpati Livonorum, 1650: J. Vogelius)

UUB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

<sup>67</sup> Distichon annum 1650 exhibens

<sup>68</sup> Distichon annum 1650 exhibens

*Nobiliss. et Praestantiss. Dn. Peroranti.*  
 MATTHIAS RIVES:  
*Per Anag.*  
 HIS VITAM TERAS!

*Nobilis invigiles Rebus communibus; aequam  
 HISque TERAS VITAM: Nobile Delicium est!*

Quod animitus p.  
 Laurentius Ludenius, Ph. et J.U.D.  
 Prof. Ord.

24. Adr: Matthias Rives – Aut: Georgius Wittingius (cf. 23)

UUB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Est laus e claris duxisse Parentibus ortum,  
 Hos etenim faustos maxima turba vocat;  
 Sed Genus et Virtus quem splendida Nobilitare  
 Pergunt, majori laude vehendus erit.*  
 5 *Inclyta nam virtus cultorem semper in altum  
 Evehit, et illum debito honore beat.  
 Hoc cum, MATTHIA RIVES, mediteris; amore  
 Dignus es, et multa laude vehendus ovas.*  
 10 *Eloqueris nobis, facies quae publica rerum,  
 Quoque regenda modo clara corona virum.  
 Pergas Eunomiae florentia visere Tempe,  
 Te virtus stimulis urget anhela suis.  
 Gratulor ipse tuis coeptis nunc pectore toto,  
 MATTHIA RIVES; Et pia fata precor.*  
 15 *Hos tuos ausus, Deus in Sione  
 Prosperet clemens Moderator orbis,  
 Ut legat fructus viridis cupitos  
 Patria tellus.*

Paucula haec honoris et amoris ergo amantissimo  
 suo adposuit  
 Georgius Wittingius,  
 Goldinga-Curlandus,  
 SS. Th. Stud.

25. Adr: Matthias Rives – Aut: Daniel Gruuf Nycopensis (cf. 23)

UUB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Impiger extremos curens Mercator ad Indos  
 Laudatur, variis evehiturque modis,  
 Lintea quod rapidis exponit Carbasa ventis  
 Objectat vitam Fluctibus atque maris,*  
 5 *Ut duplici pulchras sibi quaerat foenore merces,  
 (Quas numerosa cohors nocte dieque petit)  
 Rite quibus degat felici in sorte beatus,  
 Vivificus donec rexerit ossa calor:  
 Strenuus ast pulchrae Virtutis et Artis Alumnus*  
 10 *Majori merito laude vehendus erit;  
 Castalias ad aquas Parnassi Montis, amore  
 Qui dat nubiferis lintea plena Notis,  
 Ut sibi divitias animi non interituras*

Congerat, ingenio praemia pulchra suo.  
 15 Divitiae ad solam hanc spectant tantummodo vitam,  
 Atque vel ipsa expers turba saluti habet;  
 Praeter spem fugiunt; celeres ceu fumus in auras,  
 Et nihil ex illis utilitatis habes?  
 Contra qui Clariae sequitur vexilla Minervae,  
 20 Et lepidae Musae fidus Amator adest,  
 Quamvis Sisyphios cogatur ferre labores,  
 (Ut canit effatum; *Non sine sente rosa*)  
 Attamen egregios felici foenore merces  
 Consequitur; felix concomitatur honor.  
 25 Ergo tuum ingenium laudo, *Doctissime RIVES*,  
 Qui Genus e prisca Nobilitate trahis;  
 Quod pulchris studiis pergas ad culmina Pindi  
 Bellerophonteï qua fluit humor equi.  
 Namque tibi laudum hinc consurgunt immoritura  
 30 Pondera, quae Genij dona perire negant.  
 Ille opifex rerum, *DEVS uno in Numine Trinus*,  
 Qui regit aetherei Sydera fixa Poli,  
 HIsCe tVIs CoeptIs CLarIIs beneDICat ab aXe, Vt  
 IpsIVs In LaVDes perfICIantVr. aVe.<sup>69</sup>

Sic  
 Nobilissimo et Literatissimo Dn. Peroranti,  
 de prospero et felici in studiis successu,  
 amico animo gratulabatur,  
 Daniel Gruuf Nycopensis,  
 Svecus, SS. Theol. Studiosus.

26. Adr: Johannes Schaeperus – Aut: Daniel Gruuf Nycopensis (Finnoniae elogia: quae, /.../ in Regia Gustaviana Adolphina Academia, quae Dorpati /.../ est /.../ oratione solenni, die 9. Octobris anno 1650. publice memoriterque /.../ enarrabat Johannes Schaeperus, /.../. Dorpati Livonorum, 1650: J. Vogel) (cf. 3) SKB, UUB, Kobenhavn KB, [Tartu UB]

GRATULATIO

In Honorem

*Doctissimi et Humanissimi Dn. Perorantis.*

JOHANNES SCHAEPERUS, ABOENSIS FINLANDUS.

*Per Anagr. mut. u in o.*

FLOS PHOEBI SUDAS, HAEC RES SANE NON INANIS.

Enodatio.

**J**OHANNES, Charitum Cultor, *FLOS aurea PHOEBI*,

*Et Boreae Gentis pulcher Ocelle tuae:*

**O**mnis in Aonio *SVD*At qui gnaviter agro,

*Ingenuas Artes nocte dieque colens,*

5 **H**orrae divitiis magnis *cumulabit onusta*

*Et referet fructus transitione bonos.*

**A**st, *velut Agricolae duros perferre labores*

<sup>69</sup> Chronodistichon non recte constructum, annum 1651 exhibens

- Debent, si sperant auricomas segetes;*
- 10 *Nam spargunt pingvi terram fimo, renovantque,  
Et cogunt tauros fortia ferre juga;*
- Nunc curvis rastris rimantur fortiter arva,  
In quae transmittunt grana minuta manu;*
- Eriguis pratis nunc foenum falce retondent,  
Atque labore gravi corpora lassa ferunt:*
- 15 *Sic quoque qui gnavus Clariis luctatur in arvis,  
Et dulces pleno gutture sumit aquas;*
- Soepius in duris ponet sua corpora stratis,  
Murice quam subeat stamina tincta tori.*
- Cogitur assidue variis operum Labyrinthis,  
Atque onerum duro subdere colla iugo;*
- Horrenda atque feret nunc frigora, nunc simul aestus,  
Cum fame soepe sitim, cumque labore metum.*
- Ast, quamvis primum radices sentiat aegras,  
Attamen eventu praemia larga feret.*
- 25 *Eunomiae hinc Soboles nunc pergas, docte JOHANNES,  
Acriter Aoniis invigilare Choris.*
- Perfringens onus hoc, SVDA per secula: SANE  
HAEC RES In Domino NON tua INANIS erit.*
- Et tibi lativagis ubi surgit ABOGIA terris  
Chara, revertenti praemia pulchra dabit.*
- 30 *Rex, precor, Aethereus; nunc HAEC tua coepta secundet,  
Ulteriusque tuos CHRISTVS adornes agros;*
- Ut tandem valeas studiorum texere telam,  
Et charae Patriae commoda ferre tuae.*
- 35 *SalVe! LaVs VaLeas! resonans passIM assonat ECho,  
HisCe o CresCe, VIre, VIVe, VaLe atqVe VIge.<sup>70</sup>*

Votum Parentis pro Filio Chariss.

VsqVe pIIs stVDIIIs InsIstere perge, IOHANNES,  
Vt nostrae Patrlae feLIX habearIs ALVMnVs.<sup>71</sup>

Ταῦτα τῆς φιλαδελφίας ἕνεκα εὐμενέως  
προσέθηκε

Daniel **Gruuf** Nycopensis,  
Sudermannia-Svecus.

27. Adr: Johannes Schaeperus – Aut: Johannes Jacobi (cf. 26)

SKB, UUB, Kobenhavn KB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Otia nulla tuis studiis, concedis, *Amice*;  
Jam das de Patria, foecundas ore loquelas;

<sup>70</sup> Distichon annum 1650 exhibens

<sup>71</sup> Distichon annum 1650 exhibens

Jam das in *Studio*, Sancti rata dogmata *Juris*,  
 Auxilio Sacro dum Flamen corda replevit.  
 5 Usque precor, CHRISTUS tua coepta secundet amica,  
 Ut tandem pulcram possis contingere metam:  
 Sic tibi per Musas, bona Fama perennis in orbe;  
 Sic stat multa SALUS, vero de fonte SALUTIS.

Quod animitus p.  
 Johannes Jacobi,  
 Ingermannus.

28. Adr: Sveno Bernhardi Tokelius – Aut: Ericus Holstenius (Disputationum physicarum quinta de motu corporum naturalium in genere; quam /.../ in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ sub praesidio Johannis Erii Stregnenesis, /.../ publice ventilandam exhibet et proponit Sveno Bernhardi Tokelius, /.../ ad diem <28.9.> 1650. /.../. Dorpati Livonorum, 1650: J. Vogelius)

H, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Praestantissimo et Ornatissimo Juveni,*  
 DN. SVENONI BERNHARDI TOKELIO,  
 Thesium harum auctori et propugnatori  
 strenuo.

*Impiger Aonidum Miles, Splendorque Sororum*  
*Doctarum SVENO: Gratulor ecce tibi.*  
*Egregios mentis foetus quia spargis in Orbe;*  
*Cernitur hinc genij visque vigorque tui.*  
 5 *Dum motum rerum scrutaris lumine docto;*  
*Hoc motu clares, ingeniumque moves.*  
*Perge pio nisu, SVENO, sic plura movere,*  
*Mota aliquando tibi, pulchra brabea dabunt.*

Ita  
 In felix auspiciis appl.  
 M. ERICUS HOLSTENIUS,  
 Westmannus.

29. Adr: Matthias Nicolai Wåldt – Aut: Daniel Gruuf Nycopensis (Disputatio theologica in Psalmum tertium Davidis selectissimas notas exhibens publicae censurae subjicietur in Regia Academia Dorpatensi, praeside Andrea Virginio, /.../ respondente Matthia Nicolai Wåldt, /.../ d. <31.> Maji /.../. Dorpati Livonorum, 1650: J. Vogelius)

SKB, H, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

Distichon Numerale.

ReX Ple, Gnate DeI, faC trVX BeLLona reCeDat;  
 PaX VIgeat; CererIs Copla Larga fLVat.<sup>72</sup>

Daniel **Gruuf** Nycopensis,  
 Sudermannia-Svecus.

30. Adr: Matthias Nicolai Wåldt – Aut: Johannes Petri Falck (cf. 29)

SKB, H, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

Qui Sacrum recolit Studiosa mente volumen,  
 Et bene rimatur facta stupenda Dei;  
 Hic genio tandem superas volitabit ad auras.

<sup>72</sup> Chronodistichon annum 1650 exhibens

Et hic permagna laude vehendus erit:  
 5 Hoc facis, o nisi dum tractas Enthea scripta,  
 MATTHIA, nostri portio pulchra Chori.  
 Inde tibi tandem magni tribuentur honores,  
 Et felix Summi Regna beata petes.

Doctiss. Dn. Respondentem, Sympatriotam et contubernalem  
 suum svavissimum, lubens ita honorat  
 Johannes Petri **Falck** /  
 Westro-Gothus Svecus.

31. Adr: Georg Wittingius – Aut: Johannes Kreilingius (Disputatio theologica anniversaria in Psalmum primum Davidis selectissimas notas exhibens, publicae censurae subjicietur in Regia Academia Dorpatensi, praeside Andrea Virginio, /.../ respondente Georgio Wittingio, /.../ d. < > April. /.../. Dorpati Livonorum, 1650: J. Vogelius) H, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Praestantissimo ac Literatissimo*  
 DN. GEORGIO WITTINGIO,  
 de praesenti materia erudite  
 disputanti.

*Felicem Psalmista vocat qui verba Jehovahae  
 rimatur studio nocte dieque pio.  
 Hoc facis, ergo sacri divino Flaminis ore  
 WITTINGI felix, terque beatus eris.*

Quod ipsum Dn. Respondenti  
 Amico meo singulari  
 animitus voveo  
 Johannes Kreilingius.

32. Adr: Georg Wittingius – Aut: Petrus Horn (cf. 31)

H, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

Usque timens Dominum, felix: Nam floret ut arbor,  
 Atque suo fructum tempore ferre potest.  
 Non, veluti Paleae a vento jactantur inanes,  
 Jactatur; firma perstat agitque fide.

Amice scrib.  
 Petrus **Horn**/  
 Dabera Pom.

33. Adr: Georg Wittingius– Aut: Zacharias Koch (cf. 31)

H, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

Felix es tanto conamine, Docte GEORGI,  
 Quando doces Legem pertimuisse Dei.  
 Hinc velut arbor eris, quae consita margine ripae est,  
 Quaeque affert fructum transitione suum.

Ita animitus precabatur  
 Zacharias **Koch** / Pritzwal-  
 densis Marchiacus.

34. Adr: Georg Wittingius – Aut: Hilarius Hoppe (cf. 31)

H, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

Ad Praestantissimum Dn. Respondentem.

*Perplacere tibi dulces ante omnia Musae:*

*Et modo Jessaei Regia Musa Senis:  
Hanc tibi desponsas, nisu magnoque tueri  
Conaris, veluti celsa cathedra docet.*  
5 *Protinus unanimes plaudunt Heliconis Alumnae,  
Has et Davidis Musa canora juvat.  
Gratulor ipse tibi, ceu fas WITTINGIA Proles  
Pergito, sic tandem digna brabea feres.*  
10 *Pensabit studium, quos suscipis atque labores  
Jessaei Regis Musa, adamata tibi.*

Hilarius **Hoppe** /  
Stolpa-Pomeranus.

35. Adr: Georg Wittingius – Aut: Daniel Gruuf Nycopensis (cf. 31)

H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Ἀνθρωπὸν φησιν μάκαρον τὸ πνεῦμα Θεοῦ,  
Σπουδάζοντα νόμους περὶ τοὺς ἁγίους κυρίου·  
Ἄνθ' ὧν ΟΥΙΤΤΙΓΓ φιλ' ἀδελφέ σε νῦν μακαρίζω,  
5 Τοῦτο ὅτι πράπτεις, πάνυ τῷ Χριστῷ σὺ ἀρέσκεϊς·  
Τῶν σπουδῶν ταύτων θεῶς εὐφημησάτω αὐτός,  
Συντείνησ' αὐτοῦ πρὸς δόξαν πράγματα πάντα.*  
Perge VeLVt pergIs, VVIttlng o arte poLItē,  
Asplret stVDIIs NVMInIs aVra tVIs.<sup>73</sup>

Τῆς φιλίας ἀνυποκρίτου ἕνεκα Κυρ.  
Ἀποκρινομήνῳ συγγαίρων  
ἔγραψε

Daniel **Gruuf** Nycopensis,  
Sudermannia-Svecus.

## 1651

1. Adr: Andreas Arvidi <Stregnensis> – Aut: Sebastiananus Wirdig (Sacris magisterij honoribus: <quos>, /.../ decanus facultatis philosophicae /.../ Johannes Erici Stregnensis, philosoph. professor ordinari. et juris extra-ordinari. ut et Supremi Regij Judicij, quod est in Livonia, assessor, in Regia Gustaviana Adolphina Academia, quae Dorpati /.../ est /.../ die 16. Octobris anno 1651. publice /.../ conferebat /.../ Andreae Arvidi Stregnensi, Regij Stregn. Collegij phys. et logic. lectori /.../ quaevis fausta precantur Musae Embeccades. Dorpati Livonorum, <1651>: J. Vogelius)

UUB (def), [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Haec exantlati sunt praemia pulcra laboris;  
His ita Cultores ornat Apollo suos.  
Ad majora dehinc natus; sterilescere noli;  
Sed magis ingenium percole, Clarus eris.*

Sebastianus **Wirdig** / Med. D.  
et Profess. Publ. Academ. p.t.  
RECTOR.

2. Adr: Andreas Arvidi <Stregnensis> – Aut: Laurentius Ludenius (cf. 1)

UUB (def), [Tartu UB]  
GRATULATIO

*M. ANDREAS ARVIDI:  
Per Anagr.  
ARDVA DEI MIRANS!*

<sup>73</sup> Chronodistichon annum 1650 exhibens

ARDUA facta DEI MIRANS! Miracula tota  
 Scrutaris: Mens arrecta est sub imagine rerum.  
 Erudiit Pallas, docuit sine fine fluentis  
 Materiae causas; sancti et qui limes Honesti est.  
 5 Eusebia edocuit Divini Numinis haustus,  
 Coelica formavit docilem Sapientia sensum.  
 Sit faustum et felix: Dicit hinc consvesce *Magister*;  
 ARDUA facta DEI sis MIRANS, *Clare Magister!*

Quod animitus prec.  
 Laurentius Ludenius, Ph. et U.J.D.  
 Prof. Ord. et Reg. Acad. Bibliothecarius.

3. ADR: Andreas Arvidi <Stregnensis> – Aut: Petrus Caroli Udenius (cf. 1) UUB (def), [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*In studiis multum est consumere dulcibus aevum,  
 Signaque Musarum prosperiora sequi.  
 Andrea, unde venit nitidissima Mitra, beata  
 Laurus, pacis honos effera bella fugans.  
 5 Carpe tuam dotem, docta virtute Magister,  
 Tempora jam Lauru cingit Apollo tua.  
 Quam, precor, ut tentas laudato nomine Laurum,  
 Dum Parcae ducent mitia fila tibi.  
 Sic cum mens fragiles relinquet corporis artus,  
 10 Perpetuo in terris nomen honosque manent.*

Claritate, Doctrina et moribus Politissimo Viro, Dn. Andreae  
 Arvidi Stregnensi, de novis Magisterij honoribus, in per-  
 petuae et infucatae recordationis τεκμήριον hisce paucis  
 gratulabatur  
 M. Petrus Caroli Udenius,  
 Pastor Turmae pedestris Carelianae.

4. ADR: Andreas Arvidi <Stregnensis> – Aut: Israel Drysander (cf. 1) UUB (def), [Tartu UB]  
 GRATULATIO

Euge viros claros dum fert Embecca Magistros,  
 Quos ornat pietas dexteritasque pia;  
 Mercurij Soboles illis et fausta precatur,  
 Optans ut vivant in probitate diu.  
 5 Ecce meum votum reliquorum carmine votis  
 Adjungens raptim corde repono pium.  
 O Decus, ANDREA, Panaceae et Pallados almae  
 STREGNENSIS, gentis pulcer ocelle tuae,  
 Sis multum felix; gesta cum laude corollam;  
 10 Et vigeat studiis *Svecia* terra tuis;  
 Svecia terra tuis! Clarus sis arte *Magister*;  
 Nestoris inque annos vive valeque diu.

Honoris et amicitiae E. apposuit  
 Israël Drysander,  
 Westman.

5. ADR: Andreas Arvidi <Stregnensis> – Aut: Petrus J. Berger (cf. 1) UUB (def), [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*STREGNENSIS, quoniam lustrasti Pallados Artes,  
Sedulus et doctos volvistis rite libellos;  
Nunc cape sudoris pia praemia; Summus Apollo  
Quae tibi nunc offert, Musis comitatus amicis;  
5 Nunc Sophia clarum te nunciat esse Magistrum.  
Euge o vive diu sospes, perdocte Magister,  
Sentiat ex te quo dulcis tua Patria fructus.*

Sic ex animo applaudit  
Petrus J. **Berger** /  
Nycop. SS. Th. Stud.

6. Adr: Andreas Arvidi <Stregnensis> – Aut: Andreas Hellenius (cf. 1)

UUB (def), [Tartu UB]  
GRATULATIO

Mercurij soboles STREGNENSIS docte Magister,  
Musarum Aonidum, Nobile Delicium:  
Sic Embecciaes, Christo duce et auspice, Musae  
Componunt studiis digna brabea tuis,  
5 Laurea suscipiunt nitidissima tempora sarta,  
Cinguntur meritae fronde virente comae.  
Vive Deo felix, tibi cedant omnia fausta,  
Omnipotensque Deus te sine fine tegat.

Amicitiae et fausti Ominis Ergo  
ita Gratulatur  
Andreas Hellenius,  
Arosia Westmann.

7. Adr: Andreas Arvidi <Stregnensis> – Aut: Ericus J. Munthelius (cf. 1)

UUB (def), [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Qvisquis ad Aonij sitienter prata Vireti  
Scandere avet, Claria miles in arte Bonus:  
Ille agrum magno veluti sudore Falerni  
Excolat, et praeceps Pallados antra petat.  
5 STREGNENSIS Clariae Panaceae et Pallados almae  
Delicium, certa cognite Amice fide.  
Tete DORPATVM gremio refovebat ad Embeck  
Praeclarum Phoebi Thespiadumque Choro.  
Hausisti et quoniam dulcem Parnassidos undam,  
10 Continuo studiis invigilando bonis,  
In Cathedra nostra Respondens quando stetisti,  
Ex Cathedra nostra quando disertus eras;  
Dorptica Musa gradum tribuit tibi, Fautor amande,  
Musa dedit studiis digna brabeia tuis.  
15 Gratulor ergo tibi, facilisque in vota resolvor,  
Et precor ut cedas laudibus hocce Dei.  
Accipe multijugo Doctum sudore Magistrum;  
Sit felix honor hic; Fautor amande Vale.*

Honoris, Amoris, et moris E. Amico et Fatori  
suo apprime colendo, ita gratulari  
voluit  
Ericus J. Munthelius,  
Westmann.

8. ADR: Andreas Arvidi <Stregnensis> – Aut: Andreas Windbergius (cf. 1) UUB (def), [Tartu UB]  
GRATULATIO

Sunt variae dotes hominum, diversaque dona,  
Quae diversimode distribuere Dij.  
Sunt variae dotes DOMINI, diversaque dona,  
Quoslibet ut voluit participare Deus.  
5 Hic rigidi gaudet dubio discrimine Martis,  
Ille feris mira construit arte dolos.  
Huic placet assumpta pharetra transfigere Cervos,  
In gyrum ille acres ducere tentat Equos:  
Ast tibi, STREGNENSIS, Sophiae perdocte *Magister*,  
10 Pallados et Sophiae praemia pulchra placent.  
Ergo ter foelix, Laurum, *mi Candide Fautor*,  
Accipe; quam Musae, fronde virente, ferunt.  
Sic tibi nomen erit nullo debile seculo;<sup>74</sup>  
Sic tua non Stygias fama subibit aquas.

Ita in veteris Amicitiae recordationem, Fautori et Amico  
absenti, de novis Honoribus sincero ex animo  
subnectebat  
Andreas Windbergius,  
Telga-Sudermannus.

9. ADR: Andreas Arvidi <Stregnensis> – Aut: Daniel Gruuf Nycopensis (cf. 1) UUB (def), [Tartu UB]  
GRATULATIO

#### Ode Lyrica.

*En mente multum multivaga, satis  
Et soepius proponit Homo sibi,  
Ut moliatur mentis ardor  
Impete dexter opus calenti.  
5 Ast providentis cura Dei Patris  
Disponit eventum, trepidos pedes  
Quae ducit, ut possit Viator  
Ad positam properare metam.  
STREGNENSIS, almi Consilium DEI  
10 Agnosce gratus, dum Patrios cupis  
Dorpta Penates hinc adire,  
Extera quo loca visitares.  
Oris paternis restituens, tibi  
Disponit eventum DEUS Arbiter,  
15 Stregnesium clarum vocatum  
Te retinet studio calentem.  
Christus reducens te vocat ad locum  
Charum paternum, Re Patriae tibi  
Scholae suae fascisque mandat,  
20 Ipse pedem retrahit Jehovah.  
Haec grator e cordis penetralibus,  
Adsint pia incrementa, dehinc precor;  
Verum magis ti gratulor nunc*

<sup>74</sup> *seculo* pro *seculo* U metri causa

Flos studiose, pia Camoena.

25 Dum Virgines ter tres peramabiles  
Nunc rite Magni stirpe Jovis satae  
Junctim ferunt gressus ab alto  
Culmine nexilibus choreis,  
Ut te politum Piëridum decus  
30 Doctumque multis artibus optimis,  
Stregnensis, hoc digno brabeo  
Nunc bene promeritum redonent.  
Ut vergat in laudes tytulus datus  
Summi Parentis nunc voveo pius,  
35 Sic gaudium, corona pulcra,  
Deliciosus Amor Bonisque.  
Sic mente multum multivaga, quidem  
Concludit et proponit Homo sibi  
Vt moliatur mentis ardor  
40 Impete dexter opus calenti.  
Sed providentis cura Dei Patris  
Disponit eventum placide optimum.  
Salve, Vale, Stregnensis. En sunt  
In manibus Domini! Valet.

*Versus Anni Index.*

45 STREGNENSIS FaVtor, Verae SophlaeqVe VenVstas;  
Foenore VIrtVtIs te DorptlCa MVsa beaVIt.<sup>75</sup>  
Ita M. Andreae Stregnensi, in Gymnasio Stregn. Physices  
et Logicae Lectori Dignissimo, Amico veteri  
ὀλοκαρδίως gratulabatur  
Daniel Gruuf Nycopensis,  
Sudermannia-Svecus.

10. ADR: Andreas Arvidi <Stregnensis> – Aut: Petrus J. Wichovius (cf. 1) UUB (def), [Tartu UB]  
GRATULATIO

*ANDREA, Lector Physices Logicesque verende  
Stregnensis; nostri pulcer ocellae soli;  
Accipe jam sertum, tibi quod dat textile Apollo;  
Fructus qui genij et dona perire negat.*

5 *Sit tibi prosper honos, Clarus sis arte Magister,  
Svecia dum corylos, dum tenet amnis aquas.*  
Hisce Fautori et Promotori suo honorando  
gratulari voluit  
Petrus J. Wichovius,  
Nerichia-Svecus.

11. ADR: Andreas Arvidi <Stregnensis> – Aut: Josias Josephi Fougdonius (cf. 1) UUB (def), [Tartu UB]  
GRATULATIO

Invigilat sanctis quicunque Laboribus; Inde  
Ille coronatur, constituenta Deo.

<sup>75</sup> Chronostichon annum 1651 exhibens

*Clare Vir, Affinis multum venerande, fuisti*  
*In studiis Sophiae Nobilis, assiduus.*  
 5 *Ergo Coronaris; cinguntur tempora Lauru:*  
*Hinc vivas Clarus Fronde Magisterij.*

Ita Sororio suo dilecto applaudit  
 Josias Josephi Fougdonius.

12. Adr: Andreas Arvidi <Stregnensis> – Aut: Benedictus Nicolai Ekaeus (cf. 1)

UUB (def), [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Fronde virente velut decoratur Miles in annis,*  
*Pro Patriae charis qui gerit arma focus:*  
*Addictos Musis sic dexter Apollo coronat,*  
*Quaerunt qui Pindi gramina nata jugo.*  
 5 *Ingens sic est laus, didicisse fideliter artes,*  
*Stregnensis Patrij gemma futura soli;*  
*Hinc capias torquem viridi de fronde paratam,*  
*Quam nunc attribuit magnus Apollo tibi.*  
 10 *Accipe praeclaros felici foenore fructus;*  
*Praemia virtutis, sarta Magisterij.*  
*Quod superest, voveo sincero pectore votum:*  
*Sis felix, Valeas dexteritate pia.*  
*Dexteritate pia sis felix, Fautor amande;*  
*Finio sic votum. Fautor amande, Vale.*

Candoris et honoris ergo apposit  
 Benedictus Nicolai Ekaeus,  
 Neric.

13. Adr: Andreas Arvidi <Stregnensis> – Aut: Olaus N. Oestenius (cf. 1) UUB (def), [Tartu UB]

GRATULATIO

M. ANDREAS ARVIDI STREGNENSIS,  
 per Acrostich.

<i>Musis</i>	<i>Macte</i>	<i>Magister,</i>	<i>Misse a</i>	<i>Mente</i>	<i>Minervae:</i>
<i>Artibus</i>	<i>Argutis</i>	<i>Ardens</i>	<i>Ascendis</i>	<i>Ad</i>	<i>Astra;</i>
<i>Astripotens</i>	<i>Ac</i>	<i>Altisona</i>	<i>Ars</i>	<i>Artus</i>	<i>Animabunt:</i>
<i>Subtilis</i>	<i>Sophiae</i>	<i>Sic</i>	<i>Solers</i>	<i>Semina</i>	<i>Spargis.</i>

Honoris et amoris E. lubens appos.  
 Olaus N. Oestenius.

14. Adr: Johann Berg – Aut: Petrus Horn (Gedächtniß-Seule, Bey /.../ Leichbegängniß Des /.../ Johann Bergs, /.../ Obersten über ein Regiment zu Fuß; Erbgesessen auff Weissen-See, Pigand, Nurmiß und Lampertzhoff, etc. Welcher den 23. Martij des /.../ 1650. Jahres /.../ entschlaffen und den 22. Aprilis dieses /.../ 1651sten Jahres in Riga /.../ der Erden einverleibet ward, Auffgerichtet von guten Freunden in Dorpt. Dorpt, <1651>: J. Vogel)

UUB, [Tartu UB]

EPICEDIUM

*Ut puer incensam stillante bitumine tedam*  
*Aut fovet, aut lapso coelitus imbre necat.*  
*Momento sic Vita brevi pia robora sumit,*  
*Mox vero in cineres, morte soluta, fluit.*  
 5 *Felix qui Coeli superas susceptus in arces,*  
*Cum Christo aeternos transigit usque dies.*

Condolenti animo adjecit

Petrus **Horn** /  
Dabera Pom.

15. Adr: Johann Berg – Aut: Zacharias Koch (cf. 14)

UUB, [Tartu UB]  
EPICEDIUM

Gloria JOHANNES a BERGEN stirpis avitae,  
Laudatae clarus Nobilitatis Honor;  
Hostilis turmae per mille pericula victor;  
Confugium oppressis praesidiumque viris.  
5 Occubuit! Posuit ferali hoc membra sepulchro!  
Sed mens coelestes incolit usque polos.

Condolentiae ergo apposuit  
Zacharias **Koch** / Pritzwaldensis  
Marchiacus.

16. Adr: Johann Berg – Aut: Hermannus Bauer (cf. 14)

UUB, [Tartu UB]  
EPICEDIUM

JOHANNES **BERG**:  
*Per Anag.*  
HABES IN REGNO!

*Elaboratio.*

Eheu: funerea mea Musa recincta Cupresso,  
Luctisonos tristi Carmine funde modos.  
*Embecca* et mecum *Dorptae* sub moenibus urbis  
Crescentis luctus da Modo signa novi.  
5 Ad tumulum luge heu tristis *Bellona*, *Fidesque*,  
*Gradivusque Pater*, *Militiaeque Cohors!*  
*Militiae Ductor*, *JOHANNES BERGIVS*, *Heros*  
Mortis ab immiti falce resectus adest!  
Quique alternantes multa vi praelia turmis  
10 Fudit, et hostiles sustulit ense manus;  
Dente venenato funestae Mortis ademptus  
Corporis extendit frigida membra sui.  
Heu! vos lanificae, *saevissima Numina*, *Parcae*  
Dicite, num vestri meta furoris erit?  
15 Ense cadens fortis succumbit *Mortis Alumnus*,  
Vi lethi et pariter doctus inersque cadunt.  
Omnes mutantur fragili de semine nati;  
Mutatur quicquid cyclicus orbis habet.  
Sed quid ago? et frustra convivia vana per auras  
20 Aeoliis spargo disjicienda Notis.  
Namque haec vis Mortis, *Parcarum* haec magna Potestas;  
*Omnia sub leges Mors vocat atra suas.*  
Haec etenim meruit primaevi culpa Parentis,  
Dum sprevit magni jussa verenda Dei.  
25 Sed solamen adest. Quod sint haec cuncta *Supremi*  
Patris in arbitrio, qui regit astra Poli.  
Hincce manent nimium felices, fine peracto  
In Domino placide qui potuere mori.

30 Illis parta quies, illis super aurea longe  
 Sydera, coelestes fas habitare domos.  
 Ad vos hosce meos converto luminis auras,  
 Quos dolor hic nimia proximitate ferit:  
 Nunc vestras validis lacrymas inhibete capistris,  
 Mittite moerorem, mittite lacrymulas:  
 35 Militiae Ductor, JOHANNES BERGIUS, HEROS,  
 Coelesti IN REGNO Gaudia faustus HABET.  
 Quo nos, O JESU, saturos da scandere vitae,  
 Dum venit extrema lege trahente dies.

Condolentiae testandae ergo scripsit  
 Hermannus Bauerus,  
 Riga-Livonus.

17. Adr: Johann Berg – Aut: Daniel Gruuf Nycopensis (cf. 14)

UUB, [Tartu UB]  
 EPICEDIUM

*Hic ego JOHANNES a **BERG**/fortissimus Heros,  
 Cui virtus clarum nomen habere dedit;  
 CHRISTO dante, truces bene qui victricibus armis  
 Hostes prostravi, pectore, voce, manu;  
 5 Occumbo! Quem non vicit crudelior hostis;  
 Hunc dedit afflictum trux Libitina neci!  
 Quem senio et fessum Mors facto funere mersit,  
 Nunc gelidum locus terraque tristis habet!  
 Donec ab aetherea, Judex Justissimus, arce  
 10 Judicium aequali sorte, redux peraget.  
 Qui me cum reliquis Sanctis conjunget Olympo,  
 Est ubi vera quies, est ubi certa quies.*

Condolens scripsit  
 Daniel **Gruuf** Nycopensis  
 Sudermannia-Svecus.

18. Adr: Olaus Sunonis Dalinus – Aut: Daniel Gruuff Nycopensis (Oratio de pietate: quam /.../ in Regia Gustaviana Adolphina Academia, quae Dorpati /.../ est /.../ die 22. Decembris, anno 1651. publice /.../ enarrabat Olaus Sunonis Dalinus, /.../. Dorpati Livonorum, <1651>: J. Vogelius)

UUB, Lund UB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Humanissimo et Doctissimo  
 DN. PERORANTI.*

*O fficiosa valet PIETAS quid? id Ore sonor           O  
 D ALINI narrat lingua diserta modo!  
 L aetior hac possis CHRISTI stare ante Tribuna       L,  
 A c pia pro meritis praemia ferre tuis;  
 5 A ccipis hac fructus, in rerum rite ruin               A  
 L aetior et cunctis casibus hacce manes.  
 U rge ausus, docto telam pertexe recurs               U;  
 IN coeptis pergas, sic bene Doctus eris.  
 S tet licet aegra Silex praecisis undique saxi       S  
 10 US que tamen stabilis praemia larga feres.*

PRAECONIVM.

Publicitus pulcram PIETATEM promere pergis  
*Percelebris Phoebi* pars pia, pulcra, proba.  
 Peccati poenam PIETAS propellere pergit,  
 Pactaque pro Populo ponere pulchra pio;  
 15 Percelebris PIETAS, placida prece, Porta Piorum  
 Propenso Patri perpetiando placet.  
 Pulcra Poli placide PIETAS pia pulpita pulsat,  
 Poscit praecelsi pondera pulcra Poli.  
 Propterea puppi proraque, Polite PERORANS,  
 20 Praefultus; pergas prosperitate potens.  
 Perlaudabiliter PIETATEM promere pergas,  
 Pondere permagno praemia pulcra petes.  
 Praemia pulcra petes, *Pars percharissima Phoebi*,  
 Perstabis Patriae Portio pulcra piae.  
 25 Pallida potando Parcarum pocla<sup>76</sup> parata,  
 (Plaude) petes placide pulpita pulcra POLI.  
 Praeconio PIETATIS, publice PERORANTI  
 prosperitatem plurimam perlubens  
 Precatur  
 DANIEL **Gruuff** / Nycopensis,  
 Sudermannia-Svecus.

19. Adr: Olaus Sunonis Dalinus – Aut: Laurentius Haquini Calander (cf. 18)

UUB, Lund UB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Est PIETAS virtus toti venerabilis orbi,  
 Est accepta POLO; Larga ministra Boni.  
 Haec quoque Cultori bene praemia grata rependit,  
 Illius possit ne rata fama mori.*  
 5 *Ergo ubi nunc laudas PIETATEM, Docte DALINE,  
 Ingenuis Studiis quae bene pectus alit:  
 Gratulor; et voveo tibi quaevis prospera, Amice,  
 Et precor ut pergas invigilare Libris.  
 Tempore sis omni Verae Pietatis amator,*  
 10 *Haec tibi sic Pietas praemia pulcra dabit.*  
 Populari ac Fratri, usu familiaritatis conjunctissimo, eleganter de Pietate declamanti, ita gratulabar  
 LAURENTIUS HAQUINI CALANDER  
 W-Gothia Svecus.

20. Adr: Andreas Flojerus – Aut: Sveno Bernhardi Tokelius (Disputatio philosophica de natura et constitutione scientiae naturalis; quam /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati /.../ est /.../ sub praesidio /.../ Johannis Erii Stregnensis, /.../ pro insignibus et privilegiis magisterij philosoph. consequendis, /.../ disputationis exercitio submittebat Andreas Flojerus, /.../ ad diem 19. Martij 1651 /.../. Dorpati Livonorum, 1651: J. Vogelius)

H, [Tartu UB]

GRATULATIO

Quando virescentem tacita considero mente  
 FLOJERI vultum, spirantemque ardua frontem;

<sup>76</sup> *pocla* pro *pocula* edd metri causa

Hoc opus, o Deus alme, tuum est, tu perface coeptum,  
Esse ratumque jube, Pia laus sobolescat in aevum.

Incalescenti animo cantillatum ibat  
SVENO BERNH. TOKELIUS,  
Smalandia Svecus.

21. Adr: Andreas Flojerus – Aut: Jonas Bringander (cf. 20)

H, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Magna pij Genij laus est, et vivida fama,  
Dum studij florent candida signa tui!  
Auspicio Christi, tu Musae Nobile lumen  
Auges, et multo clarius esse facis.*  
5 *Multi Livoris dentem, noctemque, geluque,  
Perfregit genij vis radiosa tui.  
Aurum et opes fragiles, dant ultima vota Parentum:  
Quas parit ingenium, non moriuntur opes:  
Invidiaeque licet te carpat inutile virus:*  
10 *Ipse tamen meriti nomine, tutus eris;  
Laus igitur tibi justa datur, veroque Bonorum  
Consensu, in seclum<sup>77</sup> fama superstes erit.*

Autori, Amico Fautori  
singul. honorando, amando, ad contestandam  
opellam syncero nitore adponebat  
JONAS BRINGANDER, LL. Stud.

22. Adr: Andreas Flojerus – Aut: Johannes Megalinus (cf. 20)

H, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Illa dies albo rediit signanda lapillo, (11. Mart.)  
Dum nix et nimbi, vel quicquid terruit urbem  
Diffugiunt; Veris praenuncia sidera surgunt.  
Ipse Aries etiam pedibus relevatur in altum,  
5 *Per quem Sol radians nunc ad sua culmina scandit  
Atque decus sylvis reparat, pratisque nitorem.  
Illa dies eadem nitido signanda lapillo, (11. Mart)  
Candida FLOJERI qua Virtus surgit in altum,  
Quae studuit seros hyberni ad luminis ignes.*  
10 *Illa Gradum exoptat, Sophiae mox culmina scandit,  
Phoebeaeque parat decus immortale coronae.  
Nonne eadem merito candenti digna lapillo?  
Gratulor inde tibi, Popularis Fautor amande;  
Spiritus ingenij vernat tibi, vivida lima*  
15 *Hoc probat, et thesium praesens systema tuarum,  
Naturae culta dum monstras arte tenorem.  
Docta PROFESSORUM gratatur turba; Lycei  
Et Studiosa cohors votis vota addere pergit;  
Sidere quo fausto, tua candida fama decorem*  
20 *Suscipiat, roseis scandens super Astra quadrigis.**

Synceri Amoris Ergo, currenti calamo  
deproperabat  
JOHANNES MEGALINVS.

<sup>77</sup> *seclum* pro *seculum* H metri causa

23. Adr: Daniel Gruuf Nycopensis – Aut: Andreas Erici Windbergius (Disputationum physicarum decima de coelo; quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ sub praesidio /.../ Johannis Erici Stregnensis, /.../ publico /.../ examini subjicit /.../ Daniel Gruuf Nycopensis, /.../ ad diem <> Aug. anni 1651. Dorpati Livonorum, 1651: J. Vogelius)

SKB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Praestantissimum et Doctissimum Juvenem*  
DN. DANIELEM DANIELIS **GRUUF**/ Nycopensem;  
Sympatriotam et Amicum suum svavissimum;

*Expansum coelum, dum scriptis rite reponis,*  
Mi DANIEL, cordis portio grata mei:  
*Ipse DEus studium probat hoc STREGNENSIS honorat*  
*Praeses, Clarorum Candida stella Virum.*  
5 *Hinc specimen Sophiae praeclarum pandis in Arte,*  
*Ingenij monstras iudiciumque tui.*  
*Inde feres tandem foecundae praemia Lauri;*  
*Atque tuas cingent florida sarta comas.*

Moris et amoris ergo paucis hisce perlubens  
honorat  
Andreas Erici Windbergius,  
Telga-Sudermannus.

24. Adr: Maria Elisabeth Kling – Aut: Laurentius Ludenius (Ultimo honori /.../ puellulae Mariae Elisabethae Klingiae, /.../ Zachariae Laurentii Klingii, SS. Theol. doct. eximij, et a SS. Reg. Maj. per Livoniam constituti superintendentis /.../ et Regiae Gustaviana Adolphinae Academiae, quae Dorpati /.../ est /.../ procancellarij magnifici, et Supremi ibidem Consistorij praesidis, filiulae /.../ quae cum die 21. Maji anno 1651. Nycopiae nata esset, ejusdemque 27. renata; Dorpati Livonorum 6. Septemb. anno eodem /.../ denata; et die 9. mensis ejusdem Dorpati in templo D. Mariae /.../ terrae concredita est: scriptum a condolentibus. Dorpati Livonorum, 1651: J. Vogel)

SKB (def), [Tartu UB]

EPICEDIUM

*Evsebiae Doctor, Procancellarie KLINGI,*  
*Et Superintendens Orbis, Et Urbis Honor:*  
Sic cui Nycopia attribuit pia tempora vitae,  
Dorpati in CHRISTO Filiola emoritur!  
5 *Vitae Oculus Matri, Patri unica Cura Verendo;*  
*Quorum jam lacrymis non caruere genae.*  
*Vix ingressa fuit praesentis limina vitae,*  
*Ut vidit variis omnia plena malis;*  
*Obstupuit gravium discrimine turbida rerum,*  
10 *Atque tulit retro transitione pedem:*  
*Quam dederas, pie CHRISTE, Animam, tibi reddidit: illa*  
*In coelis tecum consociata viget.*  
*Felix Nata; sacro Baptismatis amne renata,*  
*Transigit aeternos absque labore dies.*

Inter lac. scrib.  
Laurentius Ludenius, Ph. et U. J. D.  
Prof. Ord. et Regius Academiae Biblio-  
thecarius.

25. Adr: Maria Elisabeth Kling – Aut: Erasmus Pegau (cf. 24)

SKB (def), [Tartu UB]

EPICEDIUM

O Venerande Pater, Doctorum fama Virorum,  
 Praeses, Judicij devenerande sacri;  
 <C>ur sic Filiolae cita fata doles gemebundus?  
 Te cur in lachrymas mors inopina trahit?  
 5 <...>rius<sup>78</sup> an citius mortem properemus ad unam,  
 Nil ea cura facit, quam bene cura! satis.  
 <...>o<sup>79</sup> citius, tanto melius; sic nempe malorum  
 Quicquid erat, subito transit in omne bonum.

*Παράιν.*

10 **Nenniskiones tijdh lö per fast bortt/  
 Och å hr uthi sigh sielf ganska kortt;  
 Hwarfö re å hr thet tillbö rlight/  
 Om Saligheet achta medh stoor Flijt.**

Debitae condolentiae et observantiae impulsu  
 tactus haec deproperavi  
 Erasmus Pegau,  
 Proto-Synedrij Livonici Adsector,  
 et Pastor Dorpat.

26. Adr: Maria Elisabeth Kling – Aut: Elaus N. Tollenius (cf. 24)

SKB (def), [Tartu UB]  
 EPICEDIUM

Aurea purpurei ceu rident lilia campi,  
 Effert dum volucres gurgite Phoebus equos;  
 Sic ego quamprimum prodivi lucis in auras  
 Pandi diffusas Sole oriente comas.  
 5 Occiduas vero cum festinaret ad undas  
 Hesperus et fusco roscidus iret equo;  
 Occubui telo funestae Mortis adempta,  
 Et clausi nitidas, Sole cadente, comas.  
 10 Sed ceu floriferi redeunt dum tempora Veris,  
 Ornatur roseis planta renata comis;  
 Sic cum summa dies componet tempora Mundi,  
 Et mea fulgebunt corpora luce nova.  
 Idcirco nolite pij me flere *Parentes*,  
 Invida vere retro stamina Clotho nequit.  
 15 Et mihi nil subiti nocet inclementia fati,  
 Dum vitam Coeli reddit in arce DEUS.

Ultimi honoris, debitaque Condolentiae causa  
 pauca haec moestus deproperabat  
 Elaus N. Tollenius,  
 Diaconus et Con-Rector  
 Dorpat.

27. Adr: Maria Elisabeth Kling – Aut: Petri Joh. Berg (cf. 24)

SKB (def), [Tartu UB]  
 EPICEDIUM

Colloquium.  
 Moestissimae Matris, et pie Defunctae Filiolae.

<sup>78</sup> <...>erius S textus corruptus : corr *Serius*; cf. Ov. Met. 10.33-34.

<sup>79</sup> <...>o S textus corruptus : corr *Quo*

- M. Quo nunc tam subito te confers, chara MARIA  
ELISABETH? rutili an te tenet aula Poli?  
Filia, te solam, mea spes, mea vita, petesso;  
Nunc desiderio plena fatisco tui.*
- 5 *Ipsa ego quicquid ero cineres interque favillas,  
Haud unquam potero non memor esse tui.*
- F. O multum semper mea dilectissima Mater,  
Linque tuas lacrymas! linque tuos gemitus!  
Cur te sic torques? conceptum pone dolorem,  
Non gemitus possunt me revocare gradu.*
- 10 *Illa quidem rapuit me Mors puerilibus Annis,  
Sed Domino visum! sic Domino placuit.  
Optatam ad requiem perveni munere vitae  
Defuncta, ante Dei sto maneoque thronum.*
- 15 *Hisce Vale, Mater longum dulcissima vive,  
Ad JESVM Dominum nunc ego pergo meum,  
Nunc ego pergo; meum Corpus requiescit in urna  
Extremae expectans classica laeta tubae.  
Spiritus interea rutila laetatur in aula;*
- 20 *Mater amanda Vale! Mater amica Vale.*

Maestissimis Dn. Parentibus haec aliquale  
Doloris lenimen exarabat animus  
calamusque  
Petri Joh. **Berg** Nycopensis,  
Sudermannia-Sveci.

28. Adr: Maria Elisabeth Kling – Aut: Daniel Gruuf Nycopensis (cf. 24) SKB (def), [Tartu UB]  
EPICEDIUM

*Mors pia, quo ocijor, eo securior a tempestatibus soevientis  
hujus aequoris mundani existit.*

- Miserandam praesentis vitae conditionem penitius si animo excusseri-  
mus, eam nihil aliud esse; quam perpetuum salum deprehendemus;  
in quo miseriarum decumanae procellae ad praecipitem interitum  
adigere minantur omnes, sive navigantes, sive innatantes. Quamvis jam
- 5 interdum in ipso sint Alcedonia, tamen non sunt durabilia. Dum enim  
minime suspicamur, dum adhuc pellacia Ponti ridet, en horrida subit tem-  
pestas. Et in vita humana soepe

————— *medio de fonte leporum  
Surgit amari aliquid.*

- 10 Felicem ergo illum, et terque quaterque beatum, cui ex vadosa hujus mundi  
Charybdi, felicis aeternitatis portum attingere contigit. Ibi enim positus  
est extra aleae jactum in pace; extra turbas in tranquillitate; extra miseri-  
am in beatitudine. Et ne longius abeamus, felix nimiumque beata est, Sci-  
tissima ac Tenerrima Puellula MARIA ELISABETHA KLINGIA,
- 15 cujus Exequiis *hodierna* pie dicata solemnitas. Quae cum tenerrima et sci-  
tissima nata esset filiola Admodum Reverendi, Praeclariss. deque Ecclesia  
CHRISTI optime meriti VIRI Dn. ZACHARIAE LAURENTII KLINGII,

SS. Th. D. eximij, a SS. Reg. Maj. per Livoniam constituti Superintenden-  
 tis Dignissimi, Regiaeque GUSTAVIanae ADOLPHInae Academiae, quae  
 20 Dorpati Livonorum est, Pro-Cancellarij Magnifici, etc. mox ex Aqua et  
 Spiritu Sancto, juxta Voluntatem Christi Renata est. Et cum CHRISTO esset  
 charissima, in primo statim vitae limine, superatis omnium adversitatum  
 tempestatibus, nunc in tranquillo beatitudinis sinu quiescit. Durum, me  
 Hercules, et asperum vulnus mox sub ingressum hujus provinciae Praecla-  
 25 rissimis Dnn. Parentibus inflictum, quod eorum deliciae, tam cito ad fata-  
 lem metam devenerint, et ultimum vitae actum expleverint! Sed quid: Gly-  
 cyrrhiza medetur tussi; Consolatio, animae. Profectum ab eo, cujus in ma-  
 nu et sortes nostrae, et vita morsque positae sunt. Summo rerum humana-  
 rum dispensatori non placuit diuturniorem vigorem stationemque Parvulae  
 30 huic filiulae impartiri. *Placita enim erat ipsi anima ejus, propter hoc properavit edu-  
 cere* illam de medio iniquitatum, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut  
 ne fictio deciperet animam illius. Erigite ergo animum, et fortibus sola-  
 tiis lenite aegritudinem, cum non deceat infirmo desiderio et intempestivis  
 lamentis lugere ademptam. *Non amissa, sed praemissa!* Dies mane oritur,  
 35 moritur in nocte, et iterum resurgit in mane! Triticum terrae visceribus  
 concreditum reviviscit in germine, pubescit in herba, juvenescit in caule,  
 maturescit in fruge, et ad pristinam suam formam et speciem resurgit. Et  
 haec aliquando ad vocem Archangeli et tubae Dei excitata prodibit. Do-  
 40 loris ergo acerbiter lenite, et pie Defunctae somnio favete. Tu vero  
 beatissima Anima, quae in mortalis hujus vitae stadio, Navigationis tuae *por-  
 tum* attigisti, et CHRISTO sponso tuo conjuncta es, Salve, et beatitudine  
 tua caelesti aeternum perfruire.

Praesens quam vita caduca!  
 Hominum quam gloria vana!  
 45 Nam cum quis vivere coepit,  
 Subita tumulabitur urna.  
     Lacrymis sub luminis auras  
 Primum, vah! nascimur omnes,  
 Lacrymis quoque vivimus udis;  
 50 Morimur lacrymisque profusis.  
     Messoris falce resecta  
 Pereunt ceu lilia campi  
 Cum Sol declinat Olympo  
 Salsisque immergitur undis.  
 55      Mortali semine nati  
 Pariter puerilibus annis  
 Pereunt; dulcissima vitae  
 Resecant ubi fila Sorores.  
     Corpus sub mole sepulchri  
 60 Positum per fata quiescit,  
 Pia donec buccina CHRISTI  
 Supera de nube Sonabit.  
     Sed Spiritus incolit arcem  
 Coeli, lue liber ab omni,  
 65 Sanctis sociatus Amice

Dum Coelum sydera pascet.

Supremum humanitatis officium pie defunctae  
Praeclariss. Dnn. Parentum Filiolae  
non sine lacrymis persolvit  
Daniël **Gruuf** Nycopensis,  
Sudermannia-Svecus.

29. Adr: Maria Elisabeth Kling – Aut: Josias Josephi Fougdonius (cf. 24) SKB (def), [Tartu UB]  
EPICEDIUM

Prosopopoeia Defunctae.

*Ut veniente die floret Narcissus in agris,  
Atque cadente die, falce resectus abit:  
Sic ego blandidulus primis infantulus Annis  
In primo aetatis flore resectus eo!*  
5 *Longius et sperans me vivere posse, repente  
Nunc jaceo in tetrica putre cadaver humo.  
Discite Mortales fragilem contemnere vitam,  
Atque pia vita quaerite regna Poli.  
Discite quam nostrae fallax sit portio vitae,  
10 Nam qui mane viret, vespere langvet homo.*

Epigramma.

*Plorabam cum natus eram, fuit ergo Voluptas  
Nulla mihi nasci; cur doleo ergo mori.*

Debitae observantiae et Christianae  
condolentiae causa ap-  
posuit  
Josias Josephi Fougdonius,  
Stregnesio-Svecus.

30. Adr: Maria Elisabeth Kling – Aut: Olaus Sunonis Dalinus (cf. 24) SKB (def), [Tartu UB]  
EPICEDIUM

*Quid fossis arces, celsis quid moenibus urbes?  
Quid multo villas numerosas aggere cingis?  
Es propriis etenim peregrinus in aedibus hospes.  
Exemplum sistit nobis scita haecce puella,  
5 Quam subitae ante diem torserunt spicula mortis!  
Jam vero in coelo, ceu laeti primula veris,  
Floret, et in Christo nitidissima gaudia gaudet.  
Ergo sit hinc planctus modicus, modica atque querela;  
Marmorea placide jam dormit corpus in urna,  
10 Judicis extremi donec pervenerit hora.*

Pauca haecce condol. Ergo app.  
Olaus Sunonis Dalinus,  
Vest-Gothia Svecus.

31. Adr: Gudmundus Lidenius – Aut: Petrus Lindenius (Disputatio physica de forma; quam /.../ in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ sub praesidio /.../ Johannis Erici Stregnensis, /.../ pro summo gradu philosophico consequendo, publicae disquisitioni submittit Gudmundus Lidenius, /.../ ad diem 8. Octob. 1651. /.../. Dorpati Livonorum, <1651>: J. Vogelius)

H, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Juveni, eruditione et morum humanitate  
Praestantissimo,  
Dn. GUDMUNDO SVENON. LIDENIO,  
Smolando, Philosoph. Candidato pro gradu Magisterij  
erudite disputanti:*

*Ne mulum, dicat, mulum scabere, invida turba,  
Non laudo ingenium, Frater amande, tuum.  
De Te Frater mihi, sed gratulor, optoque Jovae  
laudi, ut conamen serviat, omne tuum!*  
5 *Gaudio et hinc Nostris! charae Patriae emolumento!  
atque tibi tandem, perpetuo decori!*

Paucis hisce, occupationum tricis impli-  
catus, Fratri meo germano, cordici-  
tus dilecto applaudebam  
Petrus Lidenius, Philos. M.  
in Academia GUSTAViana Log.  
et Eth. Profess. Publ.

32. Adr: Gudmundus Lidenius – Aut: Johannes Megalinus (cf. 31)

H, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Ad Fratris Clari gressum vestigia formans  
LIDENI, Patriae dulcis alumne tuae.  
Fraternum pariter quoque nunc imitaris honorem:  
Formoso dignum carmine pandis opus.*  
5 *Dum te de Formis Naturae arcana loquentem  
Celsae Academiae Dorptica Rostra probant.  
Informes Formans animos; Formosus ab alto  
Christus erit studij candida Norma tui.  
Hic tibi Formosum Formet firmetque decorem:*  
10 *Firmaque sis docti Forma venusta Viri.*

Populari suo dilectissimo gratulabundus accinit  
ex AMORE  
MORE  
ORE  
RE  
Joh. Megalinus.

33. Adr: Andreas Erici Lilonius – Aut: Daniel Gruuf Nycopensis (Uplandiae elogia: quae, /.../ in Regia Gustaviana Adolphina Academia, quae Dorpati /.../ est /.../ oratione solenni, die 21. Decembris, anno 1650. publice, /.../ enarrabat Andreas Erici Lilonius, /.../. Dorpati Livonorum, <1651>: J. Vogelius) (cf. 57)  
SKB, UUB, Lund UB, H, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Humanissimo et Doctissimo  
DN. PERORANTI.  
ANDREAS ERICI LILONIVS.  
κατ' ἀνάγκη.  
I! IN ILLIS VERA DECORANS.*

ANDREA, Clariae Sophiae Eusebiaeque Satelles,  
L aurigeri vigilans et Heliconis Amor.  
*Nunc tibi quid voveam? tibi quae nunc carmina fundam?*

5 *Ingenio docto quae bona verba precer?*  
*Dum natale solum meritis nunc laudibus ornas,*  
*Lucem natalem quod tibi habere dedit;*  
*Rectius haud unquam poteris tractasse Liloni,*  
*O mni dum studio rura Paterna notas?*  
 10 *E logiis veris DECORANS Uplandica rura*  
*Nunc I! perfelix in pietate tua.*  
*A urea difficili residens in vertice virtus*  
*Illa tuis studiis digna βραβεία dabit.*  
*S vavis ut Patriae fueris, bene charus Amicis,*  
 10 *US que inclarescet Nomen in orbe tuum.*

Haec tibi, *Liloni*, nunc *Moris, Amoris, Honoris*  
*Dorpati Levonum* signa Minerva dabat.

DANIELIS **Gruuff** / Nycopensis  
 Suderm. SS. Theol. Stud.

34. Adr: Louisa Charlotte – Aut: Arnoldus Mahlstede (Disputatio theologica anniversaria in Psalmum quintum Davidis selectissimas notas exhibens, publicae censurae subjicietur in Regia Academia Dorpatensi, praeside Andrea Virginio, /.../ respondente Arnoldo Mahlstedt, /.../ d. < > /.../. Dorpati Livonorum, 1651: J. Vogelius) (cf. 35-36)

H, [Tartu UB]

DEDICATIO

*Illustrissimae et Celsissimae Principi*  
*ac Dominae,*  
 DN. LOYSAE CHARLOTTAE,  
 Natae et Electorali Stirpe Marchionum Bran-  
 denburgiae, Borussiae, Juliae, Cliviae ac Montium; Stetini, Pome-  
 raniae, Cassubiorum, et Wandalorum; nec non Crossiae et  
 Jaegerndorfiae in Silesia, etc. Ducissae Livoniae, Cur-  
 landiae et Sengalliae,  
*Dominae ac Principi suae Clementissimae,*  
 Vitam, Incolumitatem et Felicitatem  
 P.P.

Marchiacis Dea nata Diis, Celsissima Princeps;  
 Gloria Pieridum; Deliciumque meum:  
*Egregiis meritis tua constat fama per orbem:*  
*Et celebrant Gentes Nomen ubique tuum.*  
 5 *Commoda Mercurij soboli fers jugiter omni,*  
*Surgit et hinc toto Nomen in orbe tuum.*  
*His ego permotus tibi nuncupo Scripta Sacrata,*  
*Quae tenuis potuit nunc mea Musa dare,*  
 10 *Suscipe fronte bona: Felix quoque vive, diuque.*  
 10 *Conatum Musae tuque foveto meae.*

Quod in felicissimum Anni Novi 1651.  
 Auspiciis, et Gratosae promotio-  
 nis spem,  
 Humilime dedicat et offert  
 Arnoldus **Mahlstedt** /  
 Respondens.

35. Adr: Arnoldus Mahlsted – Aut: Georg Wittingius (cf. 34)

H, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Honori et Amori Literatissimi*  
Dn. Respondentis.

*Nectere ludenti gratantia Carmina versu*  
*Si possem, et doctis Verba ligare modis;*  
*Tunc tibi, Paeonij MAHLSTEDI fontis Alumne,*  
*Ingenio prompto Metra cupita darem:*  
 5 *Pectore dum laeto sanctissima Biblia volvis*  
*In pulchris studiis fertile pectus alens.*  
*Sed quia Piërides me non fecere Poëtam,*  
*Nec de Castalio fonte Poëta bibi,*  
*Pro versu idcirco votum nunc corde reponam;*  
 10 *Sinceri Votum pectoris accipies.*  
*Invigilare Sacris, MAHLSTEDI, perge Camoenis,*  
*Sic tibi vera salus, sic tibi Nomen erit.*  
*In terris tibi Nomen erit, sed gloria coelis.*  
*Semper ubi aetherea sede superstes ovas.*

Crena volanti has lines duxit  
 GEORGIUS WITTINGIUS, Goldinga-  
 Curlandus, SS. Theol. Studiosus.

36. Adr: Arnoldus Mahlsted – Aut: Johannes Megalinus (cf. 34)

H, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*ARONIS veluti florida virgula,*  
*Quae quondam, mediis Sacris*  
*Pernoctans, dederat dulcia praemia:*  
*Sic faelix Juvenis pius,*  
 5 *Qui libat Domino tempora florida*  
*Ac sanctis studiis dies*  
*Et noctes gelidas pectore transigit*  
*Laeto, nec timet improbos*  
*Hostes, insidias; aut rabiem Noti,*  
 10 *Quod pulchre monet Entheo*  
*Psaltes hic placido a Numine percitus.*  
*Haec dum nunc meditaberis*  
*Quam faelix fueris quam sapiens quoque*  
*O MAHLSTEDIADES nitens*  
 15 *ARONIS veluti florida virgula!*  
*Fortunet DEUS arduum*  
*Hoc, et plura dabit prospera singula*  
*ARON MAHLSTEDIUS bonam*  
*Sic metam feriat pectore comprecor*  
 20 *Et laetus vireat diu.*  
*Sic permagna feret praemia candidus*  
*Pertractans sacra, splendicans*  
*ARONIS veluti florida virgula!*

Haec pauca Amico suo svavissimo gratulabundus  
 apposuit  
 JOHANNES MEGALINUS.

37. Adr: Andreas A. Malmenius – Aut: Daniel Gruuf Nycopensis (Disputatio philosophica de philosophia in genere; quam /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati /.../ est /.../ sub praesidio /.../ Johannis Erii Stregnensis, /.../ pro summo in philosophia gradu, /.../ censurae committit Andreas A. Malmenius, /.../ ad diem 27. Junij 1651. /.../. Dorpati Livonorum, <1651>: J. Vogelius)

SKB, UUB, H, [Tartu UB]

GRATULATIO

ANDREAS MALMENIUS:

*Per Anagr. duplex*

1. LUMEN AMES RADIANS,
2. ADAMANS LUMEN ERIS.

Gemmula Piëridum, MALMENI *Sympatriota,*

*Ingenij laudem quaerere rite clues.*

*Intrepidus Cathedram conscendes omine fausto,*

*Docta defendens dexteritate Theses.*

5 *Macte tuis studiis! Tandem potieris honore,*

*Quem petis, et clarum Nomen Apollo dabit.*

*LUMEN AMES vitae his RADIANS, Popularis amande,*

*Sic ADAMANS nostrae LUMEN ERIS Patriae.*

Haecce vovet charo Patriotae Musa canendo  
Dorpati Levonum Danielis **Gruuf** Nycopensis.

38. Adr: Andreas A. Malmenius – Aut: Zacharias Kling (Sacris magisterii honoribus: quos, /.../ decanus facultatis philosophicae /.../ Johannes Erii Stregnensis, philosophiae professor ordinar. et juris extra-ordinar. ut et Supremi Regij Judicij, quod est in Livonia, assessor, in Regia Gustaviana Adolphina Academia, quae Dorpati /.../ est /.../ die 16. Octobris, anno 1651. publice /.../ conferebat /.../ Andreae A. Malmenio, Sudermannia-Sveco: quaevis fausta precantur Musae Embecciaes. Dorpati Livonorum, <1651>: J. Vogelius)

SKB, UUB, H, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Praestantissime Dn. MALMENI,*

*Amice honorande,*

Ex quo in notitiam meam pervenisti, quae maximope-  
re in Te commendo, *duo* cumprimis non sine summa  
animi loeticia animadverti. Ex quibus singularis et  
rara illa *Eruditio* tua familiam ducit, cujus egregium  
5 toties in *Academia* GUSTAVIANA Specimen Te dedisse observavi,  
ut vices alias mille praeteream, quoties PHILOSOPHIAE CANDI-  
DATOS, aliosve eximios ejus Cultores ex Cathedra publice di-  
sputantes audivi; ut, qui accuratam et exquisitam disserendi ra-  
tionem in Te desiderat, non illum veram Logicam, sed vix ejus  
10 σκέλετον, seu umbram tenere, citra omnem controversiam asse-  
verare non dubitem; vel ex mera invidia, aut fastuosae φιλαυτίας  
praesumptione omne illud despiciere et vituperare, quod asse-  
qui ipse nequit. Quemadmodum etiam *Principia rerum*, earumque  
affectiones et quaecunque praeterea *Amplissima Philosophia* complecti-  
15 tur, ad ungvem calles, res ipsa tam evidentem loquitur, ut meis  
opus non sit verbis. Unde *Veneranda Facultas Philosophica*, sum-  
mos illos, quos PHILOSOPHIAE CANDIDATIS conferre solet HO-  
NORES Tibi propediem meritissimo consecrat. Alterum, quod  
commendatione dignissimum judico, est pulcherrima illa *Mo-*

20 *rum* concinnitas, qua elegantissime es exornatus: Praeterquam  
enim quod PIETATIS sis totus, *Superiores* reverentia, *pares* hono-  
re, *Inferiores* autem singulari quadam humanitate ita comple-  
cteris, ut *omnes* in tui et admirationem et amorem allicias atque  
trahas. Et hoc est, quod ille ait:

25 ————— Didicisse fideliter ARTES,  
Emollit mores, nec sinit esse feros.  
Gratulor proinde Tibi Praestantissime *Dn. Candidate* de donis  
tam eximiis et praeclaris! Gratulor PATRIAE nostrae Charissimae  
et quidem inprimis *Inclutae Dioecesi* STREGNENSI, quod Te Virum  
30 Literatissimum simul et Politissimum in sinum suum recipiat!  
Et certe aequum est, illam ipsam jucundissimos *Studiorum* tuo-  
rum *fructus* ferre, in cujus Florentissimo Gymnasio omnis Eru-  
ditionis tuae prima fundamenta haud infeliciter posuisti! Ut  
LABORES et HONORES tui in Divini Nominis gloriam, Reipubli-  
cae Literariae Salutem, inque tuum, tuorumque emolumentum  
35 unice vergant, Velit Misericors noster Deus, in Secula laudan-  
dus! Cujus BENEDITIONI quam fidelissime Te commendo,  
Vale! Dorpati, VII. Id. Octobr. An. M DC LI.

Eximiae T<sup>ae</sup> Praest. iae  
addictissimus  
Zacharias Klingius, SS. Theol. D.  
per Livon. Superint. Acad. Dorpat. Vice-  
Cancell. et Proto-Syn. Praeses.

39. Adr: Andreas A. Malmenius – Aut: Sebastianus Wirdig (cf. 38)

SKB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Nempe Magisterij quod Clarus honore superbis,  
Hoc labor et studia hoc promeruerere Tua.  
Gratulor hisce TIBI! crescat TVA Fama quotannis!  
Crescat, Amice, TVA hinc Gloria! crescat honor!*

Sebastianus **Wirdig** / Med. D.  
et Profess. Publ. Academ. p.t.  
RECTOR.

40. Adr: Andreas A. Malmenius – Aut: Andreas Virginius (cf. 38)

SKB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

En, quae virtuti non ullo tempore desunt,  
Jam tu, MALMENI, praemia digna capis,  
Et merito! Quis enim Musas Sectetur et artes,  
Virtutis studium ni comitetur honos?  
5 En meritos igitur felici sidere honores,  
Addit Apollo tibi, pervigil atque labor.  
Quod superest, quaecunque dedit tibi dextra benigna  
Numinis, haec eadem servet, et aucta velit.

Honoris et benevolentiae ergo apposuit  
Andreas Virginius SS. Theol. D.  
et Profess. primar.

41. Adr: Andreas A. Malmenius – Aut: Laurentius Ludenius (cf. 38)

SKB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*M. ANDREAS MALMENIVS:*

Per Anagr.  
*DA, RE SIM LVMEN AMANS.*

Luce Magisterij, veneranda Clarus et Arte;  
 DA Deus, ut RE SIM divite, LUMEN AMANS!

Quod animitus prec.  
 Laurentius Ludenius, Ph. et U.J.D.  
 Prof. Ord. et Reg. Acad. Bibliothecarius.

42. Adr: Andreas A. Malmenius – Aut: Petrus Caroli Udenius (cf. 38) SKB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

Gaude e corde pie; donat tibi munera Phoebus,  
 Contextam Laurum signa Magisterij.  
 Applaudunt Musae! pars plurima carmina dicit!  
 Res ut pro voto nunc eat, ipse precor.  
 5 Interea expectant reditum Charites, cupiuntque  
 Accipias studiis praemia digna tuis.

Praestantiss. Dn. Andreae Malmenio, infucatae amicitiae ergo,  
 et in fraterna recordationis τεκμήριον, paucula  
 haecce lubens reliquit  
 M. Petrus Caroli Udenius,  
 Pastor Turmae pedestris Carelianae.

43. Adr: Andreas A. Malmenius – Aut: Andreas Koßkull (cf. 38) SKB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Perlustrant alij mundum per Saxa per ignes;  
 Et plenum tolerant asperitatis iter;  
 Ut pascant variis (sat laute) rebus ocellos,  
 Illis quas offert semita longa viae:  
 5 Transcendunt alij Neptuni Regna tremenda,  
 Aeolus et duro suscipit hospitio;  
 Vt bona corradant; fiat per fasque nefasque;  
 Postea quae perdant filius atque Nepos.  
 Sunt quos delectat Bellonae victima: Jani  
 10 Et quibus est cordi semper aperta domus.  
 Sed tibi MALMENI, sunt haec, ut Nausea, cuncta;  
 Delectent alios; vana, profana putas.  
 Te juvat in docili Musas coluisse iuventa,  
 Pegasidumque libris implicuisse manus:  
 15 Deliciumque tuum, discursus dulcis in Arte;  
 Rectum construere, et destruere inde strophas.  
 Hinc te quae maneant, novisti, praemia pulcra;  
 Quae conferre solet docta corona Virum.  
 Gratulor ergo tibi, quod tu, doctissime Amice,  
 20 Dulce Magisterij concipis inde decus.  
 Perge pie: sic te multo majora sequentur,  
 Quae placide tollent nomen ad astra tuum.*

Ita Affectum declarare voluit  
 Andreas **Koßkull**.

44. Adr: Andreas A. Malmenius – Aut: Gustav Koßkull (cf. 38) SKB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

MALMENI, ex animo meritos tibi grator honores:  
Eveniant coeptis commoda cuncta tuis.

Festinanti calamo, Amico suo gratulari  
voluit  
Gustavus **Koßkull** /  
Nob. Svec.

45. Adr: Andreas A. Malmenius – Aut: Daniel Mårnsonstiärna (cf. 37)

SKB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Magna Mavortis juvenum caterva  
Certat in bello sine fine telis,  
Ensibus strictis: pugil atque pugnatur  
Tempore belli.*

5 *Strenuus Miles patriam tuetur:  
Fortiter pugnans varie beatur,  
Cumque fit praestans Equitum Magister,  
Nobilitatur.*

10 *Sicque, Malmeni, patriota dulcis,  
Rite certasti: Charites Magistrum  
Te creant; dicunt meruisse docta  
Pallados arte.*

15 *Namque constabat; Juveni polito  
Hanc in haud molli Sophiam jacere  
Lectulo; Verum Sophiam manere  
Artis amantem.*

20 *Clare Malmeni, tibi nunc honores  
Conferunt dignos Sophiae Sorores.  
Laetor, et quantum valeo precabor,  
Sint tibi fausti.*

*Et precor posthac bene; tuque vivas  
Lauriger felix; valeasque sospes,  
Atque sis prosper veniens in aevum,  
Clare Magister.*

Uti moris, ita honoris ergo, haec apponere  
voluit  
Daniel **Mårnsonstiärna** /  
Nob. Svecus.

46. Adr: Andreas A. Malmenius – Aut: Petrus J. Berger (cf. 38)

SKB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Te ne poeniteat MALMENI dulcis Amice,  
Angustum pedibus gressum trivisse Minervae,  
Neve diu Clarias coluisse hic gnaviter artes.

5 Nam titulos veros, qui dignus honore Magistri,  
Deportas; nunc inde graves tibi dantur honores;  
Praemia virtutum qui dulcia sunt ut et ampla.  
Gratulor inde Tibi tantos de pectore honores;  
Det Deus Omnipotens, qui fons et origo bonorum,  
Ut pius, incolumis, tanto splendore fruaris.

10 Theologiaeque decus valeas adjungere semper.

Sic Populari atque Amico suo longe dilecto

comprecatur  
 Petrus J. **Berger** /  
 Nycop. SS. Th. Stud.

47. Adr: Andreas A. Malmenius – Aut: Andreas Hellenius (cf. 38)

SKB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Ite nunc Musae, cito Convenite  
 Nunc tubis cantateque vos honoris:  
 Nuncque clamate o Charites beatae  
 Carpite flores.*  
 5 *Ferte nunc laurum meritam labore,  
 Ferte nunc Sertum Capiti decorum,  
 Quod labor multus potuit mereri,  
 Praeside Christo.*  
 10 *Sit Magistralis tibi faustus hicce  
 Semper Ornatus, decus usque crescat,  
 Prospere vivas Pyleique in annos  
 Clarus honore.*

Ita animitus gratulari voluit  
 animus et Calamus  
 Andreae Hellenij,  
 Arosia Westmann.

48. Adr: Andreas A. Malmenius – Aut: Andreas Windbergius (cf. 38)

SKB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Est merito felix, est dextro sidere natus;  
 Qui Virtute decus, qui simul Arte, parat.  
 Musa Juventutem fovet, aegram Musa senectam,  
 Et Canam aspergit laudis honore Comam.*  
 5 *Ingenij illustrat decus et praeclara peracta,  
 Ut nequeant stygias facta subire rates.  
 Ergo felicem quis te neget atque beatum,  
 MALMENI, Aonij gloria pulcra Chori.*  
 10 *Dum tua te Virtus juvat, exornatque beate;  
 Atque tuum Lauro cingit Apollo caput.  
 Applaudit populus, dulci modulamine Musae  
 Coelituum Regi Vota precesque Litant.*  
*Perge bonis avibus, spirans virtutis ad arcem;  
 I, tibi qua pietas inclyta monstrat iter.*  
 15 *Sic tua sublimem vivens pulsabit Olympum  
 Gloria, Lethaeam non aditura ratem.*

Honoris et syncerae amicitiae testificandae gratia,  
 ita ex animo gratulabatur  
 Andreas Windbergius,  
 Telga-Sudermannus.

49. Adr: Andreas A. Malmenius – Aut: Daniel Gruuf Nycopensis (cf. 38)

SKB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Explorant adversa viros, perque aspera duro  
 Nititur ad laudem Virtus interrita clivo.  
 Via, ad peramoena Musarum roseta, cum non sit Regia et plana, sed  
 angusta, aspera, multisque praegrandibus obsita dumis; ingentem sane et*

5 *vere Herculeum laborem (fateamur necessum est) illis esse devorandum, qui eo aspirant, Sophiaeque laude inclarescere volunt. Non Hercle verbis exprimi potest tantum, quod in studiis est incommodum. Uti nescit, quid mali praeterierit, qui nunquam mare ingressus rapidis commisit carbasa Ventis; ita ars non habet osorem nisi ignorantem. Is enim, cui virtutem sequi*  
 10 *ductricem mens est; Murciam et Vacunam spernens, in utramvis aurem non dormiet; nec palmari stomacho velificans, cibariis opipare instructis, saccaroque et Embammate incrustatis sese infarciri, vinoque ad ambas usque aures ingurgitari sinet. Non oblectaverit se in amoenis rosariis, nec sederit in culcitra plumea; sed multis magnisque laboribus se frangere, sudoribus*  
 15 *enervare, et concatenatis curis emacerare necessum habuerit, juxta illud Horatij,*

Multa tulit fecitque puer, sudavit et alsit,  
 Abstenuit Venere et Baccho etc.

20 *Virgil. de litera Y.* Nam via Virtutis dextrum petit ardua callem,  
 Difficilemque aditum primum spectantibus offert.  
*Hinc si Augusta velis, quaeras angusta necessum est;*  
 Armat spina rosas, mella tuetur apes.  
 Nucleus in duro servatur cortice dulcis,  
 Corticulam frangat, qui cupit esse nucem.

25 *Ne autem animum despondeamus, quod tantis difficultatibus clara illa Virtutis et Eruditionis possessio comparatur; optimo jure pia Patrum sanxit Antiquitas, precium fideliter strenueque in castris Musarum militanti tribuendo, ut tam dignitas ejus clarius elucesceret, quam mortalium animi, alias ad ignaviam et Voluptatem proni, a vitiis retraherentur; et spe amplissimi hujus praemij allecti ad virtutem, eruditionemque sedulo sectandam incenderentur: Non aliter ac priscis temporibus Romani militibus, strenuam in bello operam navantibus pro exantlatis laboribus dona militaria dare soliti sunt. Hinc, Praestantissime Dn. MALMENI; Te ab ipsis incubulis Gratias literis initiasse non temere ominor; sedulam bonis literis navasti operam, ut nunc humi repere, aut per dumeta et spineta amplius reptare non necessum habeas; sed fortiori alarum remigio ad altiora te elevare queas. Pieridum sacraria, et sapientum placita diligenti rationis indagine rimatus, inertiae illecebris inescari te non passus es.*

Nunc cape multijugo meritum sudore βραβεῖον.

40 *Vicisti Draconis, hortos Adonidum custodientis, vigilias; Tauros aeneos ad aureum vellus vigilantes superasti; Hi licet indefessa et invariabili oculorum acie ad fores vigiles agerent excubias, ne quisquam involaret aureaque surriperet poma; ea tamen Tu, ut virtutis praemium et insignia victoriae nunc sedula reportasti manu. Parata tibi nunc Corona laurea, titulusque*  
 45 *Magisterij honorificus. De quo cordicitus tibi gratulor, precorque ut vergat haec laudis adorea in Dei ter Opt. Max. aeviternam laudem; in militantis, sub extrema Mundi canitie, seraque Vespera, Ecclesiae exaedificationem; Inclytae hujus Regiae Academiae honorem; tibi que, Novelle Dn. Magister, in sempiternum commodum. Et quia Patrios tibi proposuisti invisere Lares, suscipiendo tuo itineri quaevis prospera precor. Te Angelus excubitor Raphaël, sociusque Tobiae; incolumem ad Patrium ducat solum. Iter sit faustum, tibi que commoda larga eveniant. Sic amore, more, ore, re, Dorpati Livonorum precatur Die 14. Octobris,*



Voce mellita, nitidae Sorores;  
 Culta facundum resonare pergas  
 20 *Musica* Carmen.

Ita gratulatur  
 Johannes Megalinus.

52. Adr: Andreas A. Malmenius – Aut: Benedictus Nicolai (cf. 38)

SKB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Egregium titulum sequeris, praeclare Magister!*  
*Accidit haud multis, ni pia Musa regat.*  
*Paucos Musa beat. Contingit adire Corinthum*  
*Perpaucis etiam, ni bene Phoebus amet.*  
 5 *Phoebus amat studiis qui nocte dieque laborant,*  
*Quique sacras Musas concupiere sequi.*  
*Hinc pauci tali possunt cognomine dici;*  
*Aoniis Musis digne Magister Ave!*  
*Tu, pie MALMENI, remoras superaveris omnes,*  
 10 *Vsque favent Musae, clarus Apollo favet.*  
*Hinc merito a doctis diceris, Clare Magister:*  
*Quo titulo dignum Gloria ad astra vehet.*  
*Cunctipotens faveat coeptis, tibi sitque benignus;*  
*Semper et eveniant dexteriora bona.*

Honoris et amoris causa, apposuit  
 Benedictus Nicolai,  
 Nericia Svecus.

53. Adr: Andreas A. Malmenius – Aut: Olaus Sunonis Dalinus (cf. 38)

SKB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*ANDREAS MALMENIVS:*  
*Ἀναγραμματιζόμενος,*  
*EMANVEL DANS MIRAS.*

A onidum coetus turratae moenia Dorptae  
*M* irantur, quare et causa subesse potest:  
*N* ubila namque inibi crescendo petentia celsa  
*A* c docta et vigili Pallados arte bona.  
 5 *D* elius hinc textit facili sub pollice certa  
*L* aurea, quae meritis digna gerenda viris:  
*R* eddit sic merito tibi munera digna labore,  
*M* almeni, docto connumerande choro.  
*E* MANVEL justus DANS omnia pectore justo,  
 10 *E* n honor inque foro, Pieridumque choro!  
*A* h dicam MIRAS tibi in omni tempore laudes  
*N* actus quod titulus dicitur hincce novus.  
*S* it faustum pelago, quod iter susceperis, opto,  
*I* n portum placidum cymbula teque vehat,  
 15 *A.* rmis sic claram poteris tu invisere Gentem,  
*V* S que Vale Dico. Candide Fautor, Ave.

*Chronodistichon annum exhibens una cum voto.*

I faVstIs aVibVs, nostrI haVD pars InfIMa CoetVs,  
En tV honor InsIgnIs sls PatrIaeqVe tVae.<sup>82</sup>

Honoris, amoris, moris et fausti ominis E. ita lubenti animo  
ac calamo accinere debuit ac voluit  
Olaus Sunonis Dalinus,  
W-Gothia Svecus.

54. Adr: Andreas A. Malmenius – Aut: Olaus N. Oestenius (cf. 38)

SKB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

ACROSTICHIS

*In Sacris Magisterij honores*  
M. ANDREAE MALMENII.

*Moribus insignis, Sophiaeque decore Polite*  
M ALMENI, *Clarij portio pulchra Chori.*  
*A onias vigili coluisti pectore Musas,*  
*A urea te virtus concomitata fuit.*  
5 *N unc igitur virtutis praemia pulcra capescis,*  
*L aurus dum cingit fronde virente caput.*  
*D ante Deo, largo Stregnesia faenore solvet*  
*Mercedem, felix cum Patriae Hospes eris.*  
*R ite docentem te reddet nunc Dorptica Musa,*  
10 *E xcipient sacrae te Sophiaeque Scholae.*  
*E rgo bonis avibus, Musarum fervide Cultor,*  
*N unc statuis Patrios Hospes adire Lares.*  
*A h Deus, incolumen navem, ventumque secundum*  
*I mmittas pelago, prospera cuncta cadant!*  
15 *S ic per Castalias doctum caput exeris artes,*  
*US que et pro meritis culta brabeia feres.*

Quam Fautori suo gratulabundus reliquit  
Olaus N. Oestenius.

55. Adr: Daniel Olai Mårngonstiärna – Aut: Daniel Gruuf Nycopensis (Sveciae elogia: quae, /.../ in Regia Gustaviana Adolphina Academia, quae Dorpati /.../ est /.../ oratione solenni, die 20. Decembris, anno 1651. publice /.../ enarrabat Daniel Olai Mårngonstiärna, /.../. Dorpati Livonorum, 1651: J. Vogelius)

SKB, UUB, H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*NOBILISSIMO ET PRAESTANTISSIMO*  
*DN. PERORANTI.*

*Amico et Popolari suo sincere dilecto.*

*D ante Deo, SVECIAM verbis dum jugiter ornas,*  
*O DANIEL, nostri portio pulchra Chori,*  
*A ppositis metris, mentis penetralibus imis*  
*L aetor; et hisce tibi prospera cuncta precor:*  
5 *N estoreos vivas annos Pietatis amore,*  
*A c pulcris studiis fertile pectus alas.*  
*I psa tibi dulcis rata praemia SVECIA spondet,*  
*I ndolis egregium dum bene pandis opus.*  
*E t cinctae surgunt Musae Parnasside Lauro,*

<sup>82</sup> Chronodistichon annum 1651 exhibens

- 10 *U na quae mecum voce precantur idem.  
L audibus hinc SVECIAM coeptis extollere pergas,  
M à rgonstā rniadum laus eris. Hisce VALE.*

Ita animitus gratulatur  
DANIEL **Gruuff** / Nycopensis;  
Sudermannia-Svecus.

56. Aut: Adr: Ericus Axelii Oxenstierna – Aut: Johannes Erici Collenbergius (Genethliacum in salutiferam nativitatem Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi: die 25. Decemb. anno 1651. devote consignatum a Johanne Erici Collenbergio, /.../. Dorpati Livonorum, <1651>: J. Vogelius)

SKB (def), UUB (def), Lund UB, [Tartu UB]  
DEDICATIO

*Illustrissimo et Magnificentissimo Heroi  
ac Domino,*

DN. ERICO **Oxenstierna**/  
AXELII F.

Comiti in **Sö dra Mö hra**/ Lib. Baroni in **Kimi-  
tho**/ Domino in **Fyholmen/ Tydhö ö n/ Wyby** et **Giö rwälen**/ etc.  
Ducatus Esthoniae Gubernatori; Arcis Revaliensis Toparchae  
Generali, Judicijque Provincialis Praesidi Inclyto:

*Domino suo Gratosissimo:*

Vitam, Incolumitatem et Felicitatem perpetuam p.

*Pectore dum grato benefacta verenda revolvo;  
Maxima, Celse Heros, sunt benefacta tua.  
Si mihi suppeterent auri numerosa talenta,  
Non possem meritis digna referre tuis.*

- 5 *Fecero quod potero, cum sit mihi curta supellex,  
Atque premat multum, me mea pauperies.  
Accipiat placidis animis Clementia scriptum hoc;  
Et vivat Musae sancta medela meae.*

In Anni Novi 1652. felicissimum Auspicium,  
Inque humilimam speratae spem promotionis,  
devote et reverenter  
Dat, D. D.

Johannes Erici Collenbergius,  
O-Gothia Svecus.

57. Adr: Ericus Axelii Oxenstierna – Aut: Andreas A. Lilonius (cf. 33)

SKB, UUB, Lund UB, H, [Tartu UB]  
DEDICATIO

*Illustrissimo et Celsissimo Heroi  
ac Domino,*

DN. ERICO **Oxenstiern**/  
AXELII F.

Comiti in **Sö dra Mö hra**/ Lib. Baroni in **Kimi-  
tho**/ Domino in **Fyholmen/ Tydhö ö n/ Wyby** et **Giö rwälen**/ etc.  
Ducatus Esthoniae Gubernatori; Arcis Revaliensis Toparchae  
Generali, Judicijque Provincialis Praesidi etc.

*Vitam, Incolumitatem et Felicitatem perpetuam p.*

Reginae Augustae et Regni Divine Senator  
 OXENSTIRNIADUM stemmate Celse Comes:  
 Illustris Regni e summis Primatibus Heros,  
 Delicium Charitum, Praesidiumque meum:  
 5 Esthoniaeque Gubernator nitidissime Gentis,  
 Salve Pierij portus et aura Chori.  
*Summa dies jam Festorum est, qua desinit Annus,  
 Anni et puncta Novi jam novus Annus adit.  
 Hinc Animo Celso non admiratio surgat,*  
 10 *Quod Patriae Historiam scripto animoque dico.*  
*Nam fuit antiquis mos Optatissimus Annis,  
 Anni in principium munera ferre novi.  
 Ast ego quid dederō, quae qualia misero dona,  
 Res angusta domi munera ferre negat.*  
 15 *Ortum Uplandorum ac urbes totam historiamque,  
 Praesens haec monstrat pagina parva mea.*  
*Suscipias placide Comes hoc Celsissime donum:  
 Et maneat Musis firma Columna meis.*  
*Sit Novus adveniens hic felicissimus Annus*  
 20 *OXENSTIRNORUM floreat usque Domus.*

Domino suo Gratosissimo,  
 In Anni Novi 1652. felicissimum Auspiciū,  
 humiliter  
 Dat, D. D.  
 Andreas E. Lilonius.

58. Adr: Ericus Steenbock – Aut: Erlandus Erlandi Hiärne (Genethliacum in salutiferam nativitatem Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi: quod /.../ Erico Steenbock, /.../ S. R. Maj. regnorumque Sveciae excellentissimo senatori: et per Ingriam, Kexholmiam, Narvam et Alentakiam etc. generali gubernatori, /.../ in Novi Anni 1652. /.../ auspiciatum /.../ dat D. D. Erlandus Erlandi Hiärne, /.../ Dorpati Livonorum, <1651>: J. Vogel)

SKB, [Tartu UB]  
 GENETHLIACUM

*O mirum! o magnum! o dictu mirabile factum!  
 O nova non ullis aut visa aut cognita seclis!<sup>83</sup>  
 Fit veneranda Parens a nullo tacta Puella;  
 Natura est rerum conversa hoc ordine, Mater*  
 5 *Virgo manet partu! cognoscite mira, stupenda!*  
 Rex Regum, Dominus Dominantes, Maximus, inter,  
 A Patre digressus, miserans incommoda Gentis  
 Humanae, assumit moribundi corporis artus,  
 Et venit o Hominum tristes invisere sortes,  
 10 *Ac culpas abolere, fores et pandere coeli.*  
*Exiguo natus teneros constringitur artus  
 Linteolo; exili exilis deponitur Infans  
 Praesepi, et stipulas et stramina corpore perfert,  
 Qui rerum est Opifex ac Instructabilis Author,*  
 15 *Cui coelum est sedes, cui parvum est terra scabellum,  
 Qui nutrit quicquid vitali vescitur aura:  
 Qui tegit atque fovet coelumque Solumque Salumque,*

<sup>83</sup> *seclis* pro *saeculis* edd metri causa

*Exiguum bibit ipse suo lac IESulus ore:  
 Vili in praesepe velamine tectus habetur,  
 20 Melliflua et durum patitur per corpora frigus.  
 O merita! o bonitas! o mira, et maxima dona!  
 O Divum Soboles! Salve, o Salve Inclyta Proles!  
 Solvimus usque tibi quas mens capit intima grates,  
 Donec mors anima gelidos deduxerit artus.  
 25 Salvator IESU, sanctae Pietatis origo;  
 Sis facilis placidusque tuis Nitidissime IESU,  
 Conserva sacri Munus venerabile Verbi;  
 Augustam Regni Reginam CHRISTE tuere:  
 Et defende bonus Patriae Proceresque Patresque  
 30 Qui doctas animis curant Clementibus Artes:  
 Ad fascesque Scholae quos patria cura Senatus  
 Ire jubet, serva, IESU Moderator Olympi.  
 Tandem post vitae magnos et mille labores  
 Ad loca transporta coelorum, ubi summa Venustas,  
 35 Qualis non oculo cuiquam percepta nec aure,  
 Nullum ubi morborum genus est, et nulla fatigat  
 Cura animos; sed ubi coelesti sede locamur.*

## Votum.

*Sic Novus exoritur coelo Millesimus Annus,  
 Sexcentus, hinc et quinquagesimus atque  
 40 Ille secundus: Eat, rogo, felicissimus Annus.  
 Corpore sit sanus Comes Illustrissimus; Heros  
 A **Stenbock**; vivat longum nitidissima secla.<sup>84</sup>  
 Illustris laetos vovet Comitissa per Annos,  
 Felici multum per tempora sorte beata.  
 45 Illustris vivat Soboles, Spes Celsa Parentum,  
 Atque una incolumis traducat molliter Annos.  
 Omnipotens faxit, plures feliciter Anni  
 Ut veniant vobis, longum redeantque per aevum.  
 Cernatis Sobolem florentem; Praeside Christo, et  
 50 Natos Natorum, hinc et qui nascentur ab illis.*

59. Adr: Sveno Bernhaldi Tokelius – Aut: Daniel Gruuf Nycopensis (Disputatio theologica anniversaria in Psalmum septimum Davidis selectissimas notas exhibens, publicae censurae subjicietur in Regia Academia Dorpatensi, praeside Andrea Virginio, /.../ respondente Svenone Bernhaldi Tokelio, /.../ d. <>/.../. Dorpati Livonorum, 1651: J. Vogelius) H, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Literatissimo et Humanissimo  
 Dn. Respondenti.  
 SVENO BERNHARDI  
 Per Anagr. h. neg.  
 IN RORE BEANDUS!*

<sup>84</sup> *secla* pro *saecula* edd metri causa.

*Omnis amans Christum Coelesti IN RORE BEANDUS:  
Hoc facis: Ergo sacro RORE BEANDUS eris.*

Vel:

*Pectore plaude pio, Phoebi pulcherrima Proles,  
Perpetui prati pabula pulchra petis;*  
5 *Pectore plaude pio, Phoebi pulcherrima Proles,  
Prospera pocla<sup>85</sup> petis, praemia pulchra petis.*  
*Perge pari posthac passu, Pietate propinqua;  
Parnassi potis pectora pasce pia;*  
*Perfer perpetianda, parit patientia palmam,*  
10 *Praestat perpetuo praemia pulchra pio.*  
*Perge pio passu Patriae prodesse politae,  
Perstabis pulchri plantula pulchra Poli.*

Chronodistichon Annum habitae Disputationis  
insinuans,

AVspICe nVnC, fLatV, sVENO, pars aVrea Phoebi  
CoLLVstra pVLChrIs artIbVs IngenIVM.<sup>86</sup>

Ita cum Voto applaudebat  
DANIEL **GRUUF** NYCOPENSIS,  
Sudermannia-Svecus, SS. Th. Stud.

60. Adr: Benedictus Olai Vegrelius – Aut: Daniel Gruuf Nycopensis (Disputatio physica de voluntate; quam /.../ in Regia Academia Dorpatensi /.../ sub praesidio /.../ Johannis Erici Stregnensis, /.../ pro summo gradu in philosophia obtinendo, publicae /.../ disquisitioni submittit Benedictus Olai Vegrelius, /.../ ad diem 1. Octob. 1651. /.../. Dorpati Livonorum, 1651: J. Vogelius)

SKB, UUB, H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

In

Nomen amicum

*Literis et Virtute Ornatissimi*

DN. RESPONDENTIS

Quod est

BENEDICTUS OLAI VEGRELIUS,

*Per Ἀναγραμματισμὸν*

I! REDITUS BENE COLLIGE UVAS.

Docte Novenarum Cultor, BENEDICTE, Sororum,  
*Cur Cathedrae nostrae limina docta premis?*

*Fungeris officio cur Respondentis, Amice,  
Num clariae doctus Pallados igne cales?*

5 *Scilicet ut scateat Phoebaea cognitione  
Ingenium, Studiis praemia digna feras.*

*I felix! uvas reditus bene collige svaves,  
Laudibus occurrit dum tibi Musa bonis.*

*Non contentus eo quem nuper ab hoste triumphum*

<sup>85</sup> *pocla* pro *pocula* edd metri causa

<sup>86</sup> Chronostichon annum 1651 exhibens

10 *Duxisti; sitiens addere plura studes,  
Macte tuis studiis, labor haud mercede carebit,  
Mox etenim studiis digna βραβεΐα feres.*

Benevolentiae et fraterni amoris  
ergo faciebat  
Daniel **Gruuf** Nycopensis,  
Sudermannia-Svecus.

61. Adr: Benedictus Olai Vegrelius – Aut: Olaus N. Oestenius (cf. 60) SKB, UUB, H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Eusebiae charitumque decus, BENEDICTE VEGRELI,  
Ingenium docta dexteritate probas.  
Dum properas cunctas pervadere Pallados artes,  
Ut referas Sancti Serta Magisterij;  
5 Quae tua sic meruit Virtus Probitasque, VEGRELI,  
Dum solvis dubias re meliore Strophas.  
Perge piis porro conatibus ire per alta;  
Nec dubita, quin tu pulcra brabeia feras.  
Gratulor ergo tibi: Sudermannia gaudet honore;  
10 Gaudet honore tuo, Patria terra novo.

Ita fervidi amoris et debiti honoris  
E. app.  
Olaus N. Oestenius.

62. Adr: Andreas Erici Windbergius – Aut: Daniel Gruuf Nycopensis (Processus iudicarii disputatio  
secunda de foro competenti; quam in Regia Academia Dorpatensi /.../ proponit /.../ Johannes Erici  
Stregnensis, /.../ respondente Andrea Erici Windbergio, /.../ ad diem <8.> Septembr. 1651 <1655.> /.../  
Dorpati Livonorum, 1651 <1655>: J. Vogel) H, [Tartu UB]

[R Acad Dorp 1651:8]  
GRATULATIO

Suo

Ad aras usque Amico,  
*Praestantissimo et Humanissimo Juveni,*  
DN. ANDREAE ERICI VVINDBERGIO,  
in Jure de Foro competente Respon-  
denti;

	A uree Piëridum flos, ANDREA, Patriot	A
	VV INDBERGI, nostri portio pulcra chori;	
	<i>N unc bene praeclarum sectaris pectore nome</i>	<i>N,</i>
	<i>I ngenuas artes dum pietate colis;</i>	
5	<i>D ifficile est, fateor, Musarum castra sequi; Se</i>	<i>D</i>
	<i>N e cures, studiis pulcra Corona venit;</i>	
	<i>R adix difficilis; Virtutis at inclytus ardo</i>	<i>R</i>
	<i>D ulcis, dans fructus transitione bonos.</i>	
	<i>E nascens quamvis spina aspera pungat acut</i>	<i>E</i>
10	<i>B landa tamen flores dat rosa nata bonos.</i>	
	A NDREA, dilecte, fide mihi cognite ver	A,
	<i>E t socius longae rite comesque viae:</i>	
	<i>S ors eadem nobis: unus Praeceptor et hospe</i>	<i>S,</i>
	<i>R ector Magnificus semper et unus erat;</i>	
15	<i>E t Levonum intrasti mecum Terpatica Temp</i>	<i>E,</i>

*G estastique pari conditione jugum.*  
*R odens Paupertas, miserandaque vita sequentiu R*  
*I llos, qui vino nocte dieque madent!*  
*I ngenio solers hinc scandas culmina Pind I,*  
 20 *U t tandem laetus Commoda larga feras;*  
*C ommoda larga feras, tibi quae dat noster APOLLO; aC*  
*S emper inoblita laude vehendus eris.*  
*I foelix coeptis! animus sic dicit Amic I,*  
*Quod rogat excipias dexteritate; VALE.*

Distichon Annum habitae Disputationis exponens.

25 VVINDBERGI IVrIs bene bIna VoLVMIIna anheLas;  
 Et tIbI VIrTVtIs sVrget et ArtIs honor.<sup>87</sup>

Haec  
 Προσφωνήσεως loco lubenti venula  
 acclamabam  
 Daniël **Gruuf** Nycopensis,  
 Sudermannia-Svecus.

63. Adr: Andreas Erii Windbergius – Aut: Johannes Megalinus (cf. 62)

H, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Viniferi colles, qua Rhenus littora lambit,*  
*Regnaque culta nitent, solisque cubilia Gades,*  
*Mox autumnales gravibus dant vitibus uvas.*  
*Castalidum colles Embeccae ad littora cernis,*  
 5 *Dorptaque culta nitet, Phoebique sedilia clarent,*  
*maturus semper pergunt proferre labores*  
*PRAESIDE sub CLARO. **Windberg** tu fertilis uvas*  
*atque autumnales parili fers sorte decores,*  
*Quando reserta Ceres gravidis inclinat aristas.*  
 10 *Gens armis celebris, Gens enutrita Gradivo*  
*insternat celsis cur ni? sua corpora cippis:*  
*Sed te Dive Themis, te laudat dexter Apollo,*  
*Nata Jovis redamat, Doctae plauduntque Sorores;*  
*Publica digna Foro juris pia dogmata tractas;*  
 15 *Publica dona ferens, te publica fama loquetur.*  
*Hunc igitur Themidos promptus decurre laborem,*  
*Aulaeata domus Procerum tibi praemia condet,*  
*Viniferi collis plures modo necte racemos!*

Ita Politissimo Dn. Respondenti  
 gratulari voluit ac debuit  
 amica mens et manus  
 Johannis Megalini.

64. Adr: Georg Wittingius – Aut: Daniel Gruuf Nycopensis (Disputatio theologica de prot-evangelio ex Genes. 3. v. 15. /.../ in Regia, quae Dorpati /.../ est, Academia publice proposita et ventilata praeside Andrea Virginio, /.../ respondente Georgio Wittingio, /.../ d. <> anno 1651. Dorpati Livonorum, 1651: J. Vogelius)

H, [Tartu UB]

<sup>87</sup> Distichon annum 1651 exhibens

GRATULATIO

GEORGIUS VVITTINGIUS:  
*Per Anag. n in e mut.*  
 EGREGIO JUSTUS VIGUIT.

EGREGIO VIgVIIt IVstVs PletatIs honore,  
*QVanDo sInCere VIXIt In AEDe DeI.*<sup>88</sup>

Daniel **Gruuf** Nycopensis.

65. Adr: Georg Wittingius – Aut: Johannes Megalinus (cf. 64)

H, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Fama erat; in Danaën Jovis aureus irruit imber,  
 Atque anguem tumidum dexter Apollo ferit:  
 Herculei pariter consveti ad fortia pugni  
 Hydram atque Aeripedes monstra superba domant.*  
 5 *Haec non aeternam spectant figmenta salutem;  
 Mundanis pascant usibus illa licet.  
 Ast melior resonat praenuncia concio vitae:  
 CHRISTVS in humana carne Redemptor ovat,  
 Dum Colubri Stygij fracta cervice triumphat*  
 10 *Spemque animumque diis laetitiamque dedit.  
 Prot-Evangelium hoc deductum ex ore Tonantis,  
 Solamen nobis tempore mortis erit.  
 Hoc Ἐργον Triados meditaris, Amice GEORGI;  
 Non leve terrenum sed grave mentis opus!*  
 15 *Fertur Eques vastum superasse GEORGIVS Angvem;  
 Tu studio monstras maxima bella tuo.  
 Hinc tibi, quod splendes Studiis, mi Candide **Witting** /  
 Gratulor ingenium non latuisse tuum.  
 Candida, ne dubites, cape praemia digna labore:*  
 20 *Hinc Honor; hinc humeris candida palla tuis.*

Honoris, Moris et Amoris gratia  
 exaratum a  
 Johanne Megalino.

## 1652

1. Adr: Johannes J. Boestrenius – Aut: Matthias Wältt (Disputatio theologica in Psalmum decimum Davidis selectissimas notas exhibens publicae censurae subjicietur in Regia Academia Dorpatensi, praeside Andrea Virginio, /.../ respondente Johanne J. Boestrenio, /.../ d. < > Maji, /.../. Dorpati Livonorum, 1652: J. Vogelius)

UUB, H, BRAN, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Jessaeus Vates sanctum pronunciat ipsum,  
 Sudat qui Sacris Eusebiae studiis:  
 Ipse jubet Christus, verum de Numine Numen,  
 Sanctis nos studiis invigilare pie;*  
 5 *Docta, tum vigili perpendens dicta Minerva  
 JOHANNES, studiis fertile pectus alis.*

<sup>88</sup> Distichon annum 1651 exhibens

Praebes ceu sanctis cultum te semper in arvis,  
 VIRGINIO Claro Praeside, bella gerens;  
 Ingenium doctis responsis prodere pergis,  
 10 Quod teneris annis non latuisse probas.  
 Macte sacris studiis! et abhinc insiste libellis,  
 Omnibus ac Doctis semper amicus eris.

Dn. Respondentem, Amicum suum singulariter  
 dilectum, ita honorare voluit  
 MATTHIAS **Wältt.**

2. Adr: Johannes Boestrenius – Aut: Olaus Dalinus (cf. 1) UUB, H, BRAN, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Pergens psalLe Deo Vero, INGERMANNE IOHANNES;  
 VIVE, VIRE atqVe VIge, VIta Vt post fata sVpersIt.*<sup>89</sup>

Olaus Dalinus,  
 W-Gothia Svecus.

3. Adr: Johannes Boestrenius – Aut: Benjamin Krook (cf. 1) UUB, H, BRAN, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

JOHANNES J. BOËSTRENIUS,  
*Per Anagr.*  
 EN, I HONOS! INERIS BEATUS.

EN I pulcer HONOS Musarum; *Praeside Christo,*  
 Hinc INERIS Musis sorte BEATUS homo.

Amico amando animitus appro-  
 perabat  
 Benjamin **Krook.**

4. Adr: Johannes Boestrenius – Aut: Erlandus Erlandi Hiärne (cf. 1) UUB, H, BRAN, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*O nitidum Phoebi germen, Popularis amande,  
 Tu quondam Ingriaci non leve nomen agri.  
 Jessiadis cantum decimum nunc rite resolvis,  
 Docta defendens dexteritate theses.*  
 5 *Gratulator; ingenuo virtutis et artis amori  
 Gratulator et coeptis omina fausta precor!  
 Insta, pervolve assidue sacra dogmata Verbi  
 Divini; et nomen candida fama feret.*

Sic Dn. Respondenti, Conterraneo suo  
 svaviss. congratulab.  
 Erlandus Erlandi **Hiärne** /  
 Ingria Svecus.

5. Adr: Laurentius Eri Bonelius – Aut: Johannes Megalinus (Disputatio theologica in Psalmum decimum sextum Davidis selectissimas notas exhibens publicae censurae subijcietur in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati /.../ est /.../ praeside Andrea Virginio, /.../ respondente Laurentio Eri Bonelio, /.../ d. <> /.../. Dorpati Livonorum, 1652: J. Vogelius)

Karlstad StB, Västerås LB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

Ad Humanissimum Dn. BONELIUM,  
 bona vera

<sup>89</sup> Distichon annum 1652 exhibens

Ex praesenti Aureo Clinodio  
DAVIDICO  
Congerentem.

*Nam Bona discamus, Bona ne pertranseat aetas,  
Nec Bona tam sequitur quam Bona prima fuit.  
Hinc Bona rite legis, queis non praestantius ullam,  
Dum sacris animum pascis adusque Bonis.*  
5 *Haec Bona non fures, non invidiosa vetustas  
Abstulerint; nec Mors, nec necat unda fluens.  
Quae Bona dum quaeris κειμήλια, docte BONELLI,  
Judice me Gazas colligis inde Bonas.*  
10 *Hinc Bona vota Boni merito fundamus Amici,  
Ut κλήρον capiat Spes tua sancta Bonum.*

Gratulabundus sc.  
JOHANNES MEGALINUS.

6. Adr: Laurentius Erici Bonelius – Aut: Johannes Stephani Berg (cf. 5)

Karlstad StB, Västerås LB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

Qui cupis Aetherei libamina dulcia fontis,  
Humoresque ejus manantes noscere gustu;  
Sis constans: Rerum sacrarum volve statuta;  
Haec pietate docent rectam traducere vitam;  
5 Et permagna piis Musis haec commoda praestant.

Amoris et honoris E. app.  
JOHANNES STEPHANI **BERG** /  
Nericia Svecus.

7. Adr: Maria Brandskyld – Aut: Erlandus J. Hiärne (Querelae lugubres in /.../ beatum obitum /.../ Mariae Brandskyld /.../ Magni Brandskyld, haereditarij in Gildßholm, etc. per Ingriam revisoris /.../ filiulae /.../ quae /.../ die 26. Octobris, anno 1651. Neoviae nata esset; ibidem /.../ 5. et 6. Januarij, anno 1652. denata, ac anno eodem die <> Maji sepulchro, quod est in templo Neoviensi, /.../ concredata est; scripta a condolentibus. Dorpati Livonorum, 1652: J. Vogel) SKB, [Tartu UB]

EPICEDIUM

*Memorare Novissima.*

Heu, Clotho, nimium soevis! cur stamina vitae  
Abrumpis? cur nunc tristia secla<sup>90</sup> moves?  
Proh! nihil humanis certum promittere rebus,  
Fata minis cupiunt concita poene tuis.  
5 Seu pauper fuerit, seu claro stemmate natus,  
Post datur exsangvi putre cadaver humo.  
Cur sic nos homines fragili disjungimur aevo?  
Cur? Jussum est, cunctos vivere, postque mori.  
Vita caduca, fugax, fragilisque simillima bullae,  
10 In qua nil laeti, nil nisi triste viget.  
Quis non aeterna, vitam mutare caducam  
Vellet, et Aetherei vivere in axe poli;

<sup>90</sup> *secla* pro *saecula* S metri causa

Quam moerore gravi terris deperdere tempus,  
 Et plenum lachrymis incoluisse solum?  
 15 Es qui mortalis, *Memorare Novissima*: discas;  
 Perpetuo, si vis vivere, disce mori.

Contestandae condolentiae causa paucula  
 haecce adjicere voluit  
 ERLANDUS J. Hiärne /  
 Praep. et Pastor Niaeviens.

8. Adr: Maria Brandskyld – Aut: Johannes Boëstrenius (cf. 7)

SKB, [Tartu UB]

EPICEDIUM

*O Mors! Mors atrox, et parcere nescia parvis,  
 Omnia sed simili falce secante secans!  
 Calce casas inopum, Regumque palatia pulsans;  
 Jam BRANDSKYLDIADAS pulsat et illa Domos:*  
 5 *Quando tenella MARIA, ut sol oriturque caditque;  
 Cogitur et subitae mortis inire vias.  
 Sed dolor hic animo infixus sedatur acerbus,  
 Cum quis perpendit sic placuisse Deo.  
 Ut Domino placuit factum est. Vita haut peritura,  
 10 Jam quorum in numero pulcra MARIA manet.  
 Est vere foelix! Est terque quaterque beata!  
 Quae pro mundanis coelica tecta colit.  
 Namque illa est exuta malis; est addita sanctis  
 Coetibus, aeternis perfruiturque bonis.  
 15 Illa Deo vivit: quae restat semita nobis,  
 Inde terenda: Dei jam superavit ope.  
 Anxiferas animi quapropter pellite curas;  
 Nec lacrymis vestras commaculate genas.  
 Sed tumulum facite, et tumulo superaddite carmen:  
 20 Nobilis in tumulo hoc Virgo MARIA jacet.*

Sonnet.

**Du Dö d! du grymma Dö d! som ey fö rskona monda/  
 Then späde Barndomen sampt deras unge å å r/  
 Hooß tihg gammal och ungh alz intet Nå de få å r/  
 Tu flå å r kull/ alle them som fig komma fö r hå nda:  
 25 Thenne lißle Jungfrw Mariae tu och vå nda  
 Haar giordt med Pijlen tijn stor Hiertans Sorg altså  
 Dem Edlom Föräldrom till bracht/ i thet på Bå å r  
 Lägs theras Dotter kiär/ och nu ey lenger kunde  
 Hooß them i thetta Lijff blifwa i å hren flere/  
 30 Men så fins hon igen / ther ingen Sorg fins mehr.  
 Hon är i Paradijß/ i then Himmelska Saalen/  
 För Oroo hafwer hon ewigwarande Roo/  
 Ofö rgengelig få r också när Lambet boo/  
 Och niuta ewig Frö gd med Engla Chorar alle.**

## Pie Defuncta.

- 35 **Mitt unga Hierta och Gemö the i fullan dus/  
A ff så dan Frö gd springer/ som är i mins Faders Hus/  
Begrå ter mig ey meera Fö räldrar kiere/  
R ijket besitter jag/ mig fattas ey meera.  
R ett wäl mon mig nu i min meenlö se å hr gå nga/  
40 I ag Saligheet få å r/ och ondskan kan mig ey få nga/  
A llwijtz Gud haffwer mig med Edle Balsam smordt/  
N y Frö gd/ ny Så ngh hwar gå ng in och uthom hans Port/  
A lt detta mit Sinn kunnen I nu icke andra  
Med edra Tå rar/ jag skulligen frå n Frö gd wandra.  
45 D y jag stå å r fö r Lamsens Stool/ tienarn uthan fleck/  
S eer doch huru jag Gudi min Fader är teck.  
A de Fö räldrar kiere/ Ade min Broor lill-kär/  
G udh Ehr alt gå tt beskiäre/ han war' Ehr allom när.  
K ommer ey i hogh mitt fö rgengelige Wesend/  
50 Ö nskar man/ jag må tte ward' aff Ehr igen kend/  
N är Basuners liufig Klang/ och HErrans klara Rö st  
I Skyg dundrandes warder: Dä lengser Eder Trö st.  
L å ter Ehr her med nö ya/ thet jag haar nu sagdt:  
D ö dh är icke Jag/ uthan lefwer i Gudz Macht.**

Quam prosopopoejam inter lacrymas  
scripsit

Johannes Boëstrenius,  
Nötheborgensis Ingerm.

9. Adr: Maria Brandskyld – Aut: Benjamin Krook (cf. 7)

SKB, [Tartu UB]  
EPICIDIUM

Nobilis hic recubat **Brandskyld** pia Virgo MARIA,  
Extremam expectans transitione diem.

Benjamin **Krook**.

10. Adr: Maria Brandskyld – Aut: Erlandus Erl. Hiärne (cf. 7)

SKB, [Tartu UB]  
EPICIDIUM

## Vitae Humanae Inconstantia.

- Ceu rosa cincta suis a spinis, altera marcet,  
Altera nata viret: sic homines variant!  
Nascitur unus homo, rursus denascitur alter  
Instabilique statu claudimur o miseri!*  
5 *Non fruimur vita praesenti, ast utimur illa,  
Qua bona mixta malis, qua mala mixta bonis.  
Ergo nihil pietas, virtus nil inclyta praestat?  
Hanc quoque cum vita mors violenta rapit.  
Ergo evanescit cum corpore nominis umbra,  
10 *Et probitas penitus nil valitura perit?  
Sic **Brandskild** prognata tenella beata MARIA;**

*In suctu primi lactis adempta fuit!*

Sub Persona pie defunctae Filiolae, Parentes  
suos moestissimos alloquens.

*O dilecte Parens, nimios expelle dolores  
Corde; etenim Justo sic placuit Domino.*  
15 *Largas idcirco lacrymas effundere cessa,  
Nec mala perge malis addere plura tuis.*  
*Sollicita o Genitrix, alto indulgere dolori  
Quid juvat, ulterius coelica tecta peto.*  
*Me non amissam, nec me periisse putate,*  
20 *In coelis vivo, laetitiaque fruor.*

**Viel tausend sterben weg fast ehe sie empfunden  
das Leben dieser Welt/ es lauffen stets die Stunden/  
und wissen keinen halt; Noch tausend gehen ab  
im mittel jhrer Zeit/ und dringen in das Grab**  
25 **Eh jhre Blüthe blüht; Von Nestor ist zu lesen  
daß er dreyhundert Jahr bejahret sey gewesen:  
Mathusalem/ so nie seins gleichen hat gesehn  
an grauer Jahren-Zahl/ must endlich schlaffen gehn:  
Wenn Ansehn und Verstand/ wenn Demuth und dergleichen**  
30 **was über Menschlich ist/ nicht dürffte jenem weichen  
der mit der Sense geht/ und auch ein Stunden-Glaß  
in seinen Händen trägt: So weiß ich wahrlich daß  
die klein und zart Jungfrau MARI A würd im Leben  
noch diese Stunde seyn: Weil aber nichts gegeben**  
35 **noch für dem blassen Todt gewachsen: Ey so gebt/  
Herr Brandskyld/ euch willig/ Sie ist nicht tod/ Sie lebt!**

Supremum humanitatis officium pie defunctae  
Nobiliss. Dnn. Parentum Filiolae non sine  
lacrymis persolvit  
ERLANDUS ERL. Hiärne /  
Junior, Ingria Svecus.

11. Adr: Johannes Bröms et Sophia Dreff – Aut: Johannes Stregnensis (Sacris nuptiarum honoribus /.../  
Johannis Bröms, turmae pedestris militaris Dorpati excubantis apologistae /.../ sponsi; /.../ die 31.  
Augusti, anno 1652. Dorpati Livonorum conjugium contrahentis, cum /.../ Sophia Dreff, /.../ Johannis  
Dreff, in /.../ Dorpatensium republ. senatoris /.../ filia, sponsa; quaevis fausta precantur Musae  
Embecciades. Dorpati Livonorum, 1652: J. Vogel) SKB, [Tartu UB]

EPITHALAMIUM

Docte Novenarum Cultor Studiose Sororum,  
Eunomiae et veneris deliciosa Venus:  
*Conjugium Fato fieri qui protulit olim,  
Fatidico verum protulit ore sonum.*  
5 *Tu Jenköpinus gelidas prognatus ad Arctos.*  
*Braemsiades Pater est vir Pietate gravis.*  
*Ipsa opibus, gazis et honoribus optima mater,  
Conscia Mens recti, conscia justitiae.*

10 Sponsa *verecundis virtutibus aucta* Sophia,  
*Natura ac annis officiosa venit:*  
*Hic ubi Dorpta jacet, Prudentiis Casta Parentis*  
*Gnata Senatoris; Mater amica Parens.*  
*Non nisi, Dante Deo, tibi Virgo haec ducitur Uxor;*  
*Virginis es Sponsus non nisi dante Deo.*  
 15 *Ergo Sophia tibi multos bene vivat in annos,*  
*Quae tua, Johannes, attribuenta Deo est.*  
*Et tu, Sponsa, dies multos cum Conjuge vivas,*  
*Quem tibi conjungit Pronubus ipse Deus.*  
*Blanda fides, et firma pio concordia nexu*  
 20 *Custodes Domui sint maneantque datae.*  
*Vivite foelices, Christus pia coepta secundet,*  
*Vos jungat firmo glutine Castus amor.*

Quod unice precatur  
 JOHANNES STREGN.  
 Academ. GUSTAVIanae p.t. RECTOR,  
 et Supremi Regij Judicij in Li-  
 vonia Assessor.

12. Adr: Johannes Bröms et Sophia Dreff – Aut: Laurentius Ludenius (cf. 11) SKB, [Tartu UB]  
 EPITHALAMIUM

JOANNES BRAEMSE:  
*Per Anagr.*  
 IN AMORE ES BEANS!

*IOANNES, Sophiae Decus immortale sacratae;*  
*Et Studiosorum nitidissima fama piorum:*  
 Vere IN AMORE BEANS SOPHIAN; famulante labore,  
 Dum docuit Sanctum quo surgat fine Beatum,  
 5 *Quae data norma Boni, quis Sancti limes Honesti.*  
 Vere IN AMORE BEANS Themis ES; famulante labore,  
 Quando id agis, Rectum coelo descendat ab alto,  
 Et pacatus eat *compostis*<sup>91</sup> moribus Orbis.  
 Vere IN AMORE BEANS numerosa negocia Martis,  
 10 *Quando Scipiadam numeros, narrasque Phalanges.*  
 Mars et Phoebus amant; et turba Novena Sororum  
 Diligit; atque oculis ridet facieque Venustas.  
 Audiit ut Virgo, Nitidissima Virgo SOPHIA,  
 Egregio Patre nata Viro, quem laude Senatus  
 15 *Atque sui Mundi Microcosmus Dorpta celebrat;*  
*Dicta, velut fomes: refoventque in fomite flammas*  
*Ingenua attracti per pectora tota caloris.*  
 Hanc IN AMORE BEANS! Roseis affusa labellis,  
 Gratia quam decorat: Sophiae dum nomine claret  
 20 *Coelica mortales armat Sapientia sensus,*  
*Quos IN AMORE BEANS ES candidiore jugali.*

SOPHIA DREFES:

<sup>91</sup> *compostis* pro *compositis* edd metri causa.

*Per Anagr.*  
HIS ADFER OPES!

Virgo Verecundis gratissima Moribus; alti  
 HIS Thalamis laetas ADFER Amoris OPES.  
 Te primo Pietas Virtutum Nectar ab aevo  
 25       Imbuit, et casto junxit amore Viro.  
 Hinc casto Thalami semper teneamini Amore,  
       Eluat et stabilem nulla procella fidem.  
 Sit vobis gemino mens una in corpore; multos  
       Vivite pro voto candidiore dies.  
 30       Assita Campanam vitis velut implicat ulmum,  
       Copula sic animos colligat una duos.  
 Sitis foelices, numerosa Prole beati,  
       Et fortuna pia tempora lege regat.  
 Sic IN AMORE BEANS! et lecti ad fulcra jugalis  
 35       Excubat Angelici turba benigna Chori.  
 Pronubus ipse Deus, sociales proroget annos;  
       HIS Thalamisque ADFER, Sponsa, salutis OPES.

Quod animitus prec.  
 Laurentius Ludenius, Ph. et U.J.D.  
 Profess. et Reg. Acad. Bibliothec.

13. Adr: Johannes Bröms et Sophia Dreff – Aut: Petrus Lidenius (cf. 11)

SKB, [Tartu UB]  
 EPITHALAMIUM

**Een Brö llops=Wijsa/  
 Vnder then Ton  
 All Tingh som Himmelen rund etc.**

1.

*Poët, skriff hwad tu will/  
 Historie Skribent/ teckna  
 up/ hwad sigh drager till/  
       i Werlden wijd/  
 5       bå d' hijt och tijt/  
 Tu som ähr wijß och snill  
       på Werldzens lop  
       som nedh och up  
 sigh wender/ *disputera*  
 10       therom wijßlig och klokt.*

2.

Thet som fast bättre ähr/  
       fast ädlare och hö gre/  
 will jagh berömma här/  
       Gudz Werk will jagh/  
 15       på thenna Dagh/  
 loffua medh stort Begär  
       hwilka loffligh

*Ps III. v. 2*

- och fast herligh  
 20 ähro/ som the beprijas  
 utaff Konung David:
3.  
 I bland thessa försan/  
 monitt förnemligt wara  
 thet helga Ehta=Stand/  
 25 hwilket förwist  
 vår HERre Christ  
 högt wyrdar/ thet som kan  
 wäl bliffua spordt  
 utaff hans Ord/  
 30 hwilket Herom förmlär  
 på mång' Ställe och Ort.
4.  
 Synnerligh tä<ck> han sigh  
 liknar wed en Brudgume  
 som ganska hierteligh/  
 35 elskar Brud sijn/  
 huilken som fins/  
 kysk och ostraffeligh/  
 hans Brud så kär  
 hwar Christen ähr/  
 40 som sigh till honom håller  
 stadigt förutan flerd.
5.  
 Thet woro widlöfftigt  
 the kerleks Saker alla  
 beskriffua fullteligh/  
 45 hwilcka Gudz Son  
 med sijn Brud mon  
 Yinsa säa hierteligh/  
 then som begär  
 thet weta lär'  
 50 Salomons höga Wijsal/  
 ty flijkt beskriffues thär.
6.  
 Therför frögdigh  
 nu med tijn Brud then Wäna  
 O Brudgum/ hierteligh/  
 55 och tänck at tu/  
 med henne nu  
 inträder wisseligh  
 i itt flijkt Stand/  
 som Gud försan
- Gen. 1. v. 27  
 c. 2. v. 24.  
 Matth. 19.  
 v. 5.*
- Marc. 10.  
 v. 6.*
- Ps. 45. v. 1.  
 et. 11.  
 Eph. 5. v. 27*
- v. 29.*
- v. 32.*
- Cant. Cant  
 per omnia.*
- Heb. 13. v. 4*

60 har stiftat/ och kär håller/  
och ingen lasta kan.

*Prov. 5.  
v. 18.*

## 7.

Gläd tigh och war lustig  
nu med tijn ungdoms Hustru/  
hon wari tigh liufflig

65 som en skön Rå å /  
tu nu wäl må å

tig mätta rundelig/  
bittijd och seent  
för uthan meen

70 aff hennes kerlek blijda/  
och hon aff tin igen.

*Syr. 26. v. 2.*

## 8.

När i leffuen altsää  
ähren i Gudi täcke  
och skolen wißlig fää

75 wälsignelse/  
ju meer och meer;

Ja fast eer komme på  
nå gon motgå ng

80 Nöd eller Twå ng  
skall Gud doch ther på giöra  
En önskelig Vtgå ng.

*1. Cor. 7.  
v. 28.  
Rom. 8.  
v. 28.*

## 9.

Eder aff Hiertans Grund/  
will jag nu härmed önska  
Gudz Wälsignelse rund/

85 Edert Begär  
wår HERre kär

upfyller i all Stund!  
Och Salighet  
i Ewighet

90 giffue/ när som i Werlden  
omsijd'r säyen *valet!*

Plaustra Tibi scribent ingentia Carminum, Amice,  
Illi queis inflat Pan facilis calamos.

Sortis Ego ast exsors talis, qui nempe caballino  
unquam prolueram non mea fonte labra:

95 Sylvestrem hinc tenui musam jam concino avena,  
Quam, Tu, fronte hilari, suscipe quaeso. Vale.

Spectatissimo Dn. Sponso, meo populari, ipsiusque amicissimae  
Nymphae, amicis meis officiose colendis, haec pauca  
moris et amoris g. accinebam  
Petrus Lidenius, Philos. M.  
et P.P. Facultatisque Theol. Adjunct.

in Acad. GUSTAVIANA.

14. Adr: Johannes Bröms et Sophia Dreff – Aut: Petrus Caroli Udenius (cf. 11) SKB, [Tartu UB]  
EPITHALAMIUM

*O te felici Sponsum sub sidere natum,  
Cui Deus hanc SOPHIAM jungit amore pio.  
Sis felix, faveatque tuo Deus Augur amori,  
Sint procul a thalamo damna repulsa tuo.*  
5 *Vivas cum Sponsa feliciter, ut tua coepta  
Numinis aeterni praesidium videant.  
Ut multos Gnatos vera probitate decoros  
Cernas, ceu plantas inque solo, inque Polo.*

Dem ungom Brwdafolckom till å hra  
och behageligh Lyckö nskan på the-  
ras Hedersdagh / skreffwit  
aff

M. Petro Caroli Udenio,  
Pastore Turmae pedestris  
Carelianae.

15. Adr: Johannes Bröms et Sophia Dreff – Aut: Benedictus Vegrelius (cf. 11) SKB, [Tartu UB]  
EPITHALAMIUM

Blandus *Phoebus* adest, Mi **Bröms**/ Te, Praeside Christo,  
Ad Thalami tedas portans, noctemque jugalem.  
In Thalamum ducis Sponsam Virtutibus auctam,  
Quae caris Sponsi formosa quiescit in ulnis,  
5 Et Thalami cunctos solatur amore labores.

Haecce ex animo Voveb.  
M. Benedictus Vegrelius,  
Suderman-Svecus.

16. Adr: Johannes Bröms et Sophia Dreff – Aut: Andreas Windbergius (cf. 11) SKB, [Tartu UB]  
EPITHALAMIUM

*In Cognomen Dn. Sponsi  
allusio.*

OESTRUM sic igitur patiere Cupidinis arcus,  
Qui Sponsae in Thalamum praeda petita venis.  
Semper in aestate hac viridantia prata pererrans,  
Telo perfossus, nunc ab amore jaces.  
5 Attamen hinc nitida recubare juvabit in umbra,  
Et capere in Viridi Somnia grata thoro.

Ita  
Novis connubij candidatis feliciter  
acclamat  
Andreas Windbergius,  
Telga-Sudermannus.

17. Adr: Johannes Bröms et Sophia Dreff – Aut: Petrus Nicolai Virgander (cf. 11) SKB, [Tartu UB]  
EPITHALAMIUM

*Coelibe nil melius vita; qui dixit; amoris  
Inscius, et vere ferreus ille fuit.  
Nec bona, quid Conjunx esset; quae gratia Prolis,*

Scivit; et unanimi quae bene juncta toro.  
 5 Et fuit indignus fida Consorte laborum;  
     Solivagas inter dignior ire feras.  
 Sicut amat ficus rutam, ceu vitis adhaeret  
     Ulmo, ceu muris Bacchica gaudet helix:  
 Sic haeret conjuncta Viro dilecta Marita,  
 10 Exhilaratque sui corque animumque Viri:  
 Exornatque domum, caeli ceu sidera noctem;  
     Et cura omnigenas ipsa tuetur opes.  
 Gaude, Sponse; tibi, Christo Duce, rebus in arctis,  
     Solamen SOPHIA est, dulce, Marita data,  
 15 Hanc charam stabili Sponsam tibi foedere jungis:  
     Auspicio Christi commoda multa fluant.

Gratulabundus apposuit  
 Petrus Nicolai Virgander,  
 Smal. Svecus.

18. Adr: Johannes Bröms et Sophia Dreff – Aut: Johannes And. Dryander (cf. 11) SKB, [Tartu UB]  
 EPITHALAMIUM

Quid σοφίαν chartis, studiis quid quaeris amaris?  
     Mentalis namque haec, sitque manetque tibi:  
 Dum σοφίαν Venus ipsa dabit tractare Realem;  
     hanc igitur facili volve revolve manu:  
 5 Pro chartis labia haec, pro libris Pignora chara,  
     Et noctes tepidas Brachia mota dabunt.  
 Sic multisque petita procis DREFJANA SOPHIA  
     venit in amplexus, nocte, dieque, tuos:  
 Sic non mente modo, tractesque Realiter, inde  
 10 Contrectare licet, commoda multa geret?  
 RE non mente modo, felicia plurima summus  
     Hinc det ut ipse Deus, comprecor ex animo.

Johannes And. Dryander,  
 Smol-Svecus.

19. Adr: Johannes Bröms et Sophia Dreff – Aut: Daniel Oeslovius (cf. 11) SKB, [Tartu UB]  
 EPITHALAMIUM

Clara dies oritur, multos optata per annos,  
     Qua duo legitimus corpora jungit amor.  
 Ergo dies aderit, quo, jucundissime Sponse,  
     Detur in amplexus pulchra SOPHIA tuos?  
 5 Aestus erat nuper calido sub sidere coeli,  
     Major at accensi pectoris aestus erat.  
 Cum facie captus castae, pie JANE, caleres  
     Tu SOHPIAE; jaculis fixus amoris eras.  
 Illa graves tacito depellet pectore curas;  
 10 Connubij curas sustinuisse velit.  
 Gratulor ergo tibi connubia fausta Marito,  
     Gratulor et Sponsae prosperitatis opus.  
 Vivite Nestoreos ambo concorditer annos,  
     Vivite concordēs, corpora jungat amor!  
 15 Vivite concordēs teneram producite prolem,

Foedus ob hoc sanxit connubiale Deus.  
Nunc Deus est praesens, sobolem qui dirigat ipsam;  
Vivite devoto nuptaque virque toro.

Ita Neonymphis gratulari voluit  
DANIEL OESLOVIUS,  
Smal-Svecus.

20. Adr: Johannes Bröms et Sophia Dreff – Aut: Johannes Luth (cf. 11)

SKB, [Tartu UB]  
EPITHALAMIUM

*Divite cum vena; cupio quos, fundere versus  
Praesens in festum, Pallas iniqua vetat:  
Divite cum vena praeconia scribere laudis,  
Prudens, Sponse, tuae, Soeva Minerva vetat:*  
5 *Divite cum vena praeclara pingere dotes,  
Sponsa Pudica, tuas, ingenium renegat.  
Hoc alius faciat, melius qui et doctius audet:  
Pectore ego fido candida vota feram.  
O Deus, summi moderator axis,  
10 Hujus et mundi inferioris orbis;  
Jura juncturis thalami beata,  
Esto benignus.  
O Pater, cunctorum Opifex potens, qui  
Conjuges primos bene copulasti;  
15 Adjuva ex alto, Benefactor Alme,  
Hos Neonymphos.  
Christe, qui quondam tua sublevasti  
Nuptias inter, nova facta: Christe  
Hisce sis praesens precor; adjuvesque  
20 Tempus in omne.  
Spiritus, fomes pij amoris, Alme,  
Omnem ab his litem removeto soevam,  
Ac tuo Nuptos releva favore:  
Gaudia serva.*

L. Lque scribebat  
JOHANNES Luth.

21. Adr: Johannes Bröms et Sophia Dreff – Aut: Benedictus Echaeus (cf. 11)

SKB, [Tartu UB]  
EPITHALAMIUM

*Auricomus Phoebus sic culmina maxima Coeli  
Jam linoquit, celeri repetens cursu loca pressa.  
Hinc, Pie Sponse, tuis grator de pectore fati  
Quando tuum ingreditur thalamum svavissima Phoebe;*  
5 *Haec curas lenit, longas pellit quoque noctes.  
Delitium domui, praesens Thalamo Decus adsit;  
Sicut Splendidus hic Phoebus Vestam refocillat  
Auricomis radiis oriens sparsis bene in orbem,  
Haec te sic foveat, solertia adaugeat aedes.*

Sic Neonymphis gratulari voluit  
BENEDICTUS ECHAEUS,  
Nericus.

22. Adr: Johannes Bröms et Sophia Dreff – Aut: Olaus Oestenius (cf. 11)

SKB, [Tartu UB]  
EPITHALAMIUM

## SPONSUS ad SPONSAM.

*Ah mea blanda Columba veni! mea Sponsa SOPHIA!  
Cor totum langvet, Sponsa Puella, veni!  
Tu mihi sola places; tecum sum vivere promptus,  
Stamina dum vitae Parca benigna trahit.*

SPONSA respondet.

5 *Optime flos Juvenum, mi **Bröms** / mi Sponse novelle,  
In vita comitem me tibi fata vocant.  
En adsum, ingenti te jam complector amore,  
Praesidium, columen, lux mea, vita mea!*

Votum.

10 *Servator Mundi, qui Sacra Jugalia servat,  
Hisce novis nuptis annuat, ore precor,  
Fortunaque, perenni flua sine fine coronet,  
Huncque torum summa prosperitate beet.*

Honoris, Favoris et fraterni Amoris E.  
sub abitu reliquit  
Olaus Oestenius,  
Med. Stud.

23. Adr: Johannes Bröms et Sophia Dreff – Aut: Zacharias Colliander (cf. 11)

SKB, [Tartu UB]  
EPITHALAMIUM

Est Schola Conjugium, vitae in qua regnat honestas,  
Cujus et ipse Logos foederis autor erat.  
Illa Deo grata est, Sobolisque propagine felix:  
Haec simul unitos una palaestra beat.  
5 Dum modo cum pulcra Socialem virgine lectum,  
JANE, paras sancto scandere jure dato:  
Jam recoles tecum, placide quod curet amantes,  
Providus optato sero et amore Deus.  
Hic virtute sua generi Spes praebuit amplas,  
10 Magnaque mox generis fama seqvuta fuit.  
Ipse Decus SOPHIAE castae conjungis honestum;  
Et mores tinctos integritate geris.  
Custus adest, vosque unit amor, geniusque decoris:  
Sit thalamos concors, sit sine lite domus.  
15 Successus dedit ut placidos cum virgine Sponso;  
Sic Sponso et Sponsae det bona fata Deus.  
Sic simul auctus eris rerum bonitate, JOHANNES;  
Et fueris variis, aucta Marita, Bonis.

Haecce sincero affectu et animo grato Sympatriotae  
suo dilecto apposuit  
ZACHARIAS COLLIANDER,  
Smol. Svecus.

24. Adr: Johannes Bröms et Sophia Dreff – Aut: Sveno E. Scriberus (cf. 11) SKB, [Tartu UB]  
EPITHALAMIUM

*Conjugij leges sancit quas ipse Jehova  
Hic praesens SPONSVS servat, adoptat, amat.  
Nam sociam quaerit pulchris virtutibus auctam,  
Solamen vitae, delictumque pium:  
5 Sit felix, (votum reliquis adjungo precando)  
Florescat thalamus divite prole diu.  
Conjuge cum casta tandem post Nestoris annos  
Vivat in excelsi culmine rite Poli.*

Ita Neonymphis apprecari voluit  
SVENO E. SCRIBERUS,  
Westman.

25. Adr: Olaus Dalinus – Aut: Daniel Gruuff Nycopensis (Disputatio theologica in Psalmum decimum quintum Davidis selectissimas notas exhibens, publicae censurae subjicietur in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati /.../ est /.../ praeside Andrea Virginio, /.../ respondente Olao Dalino, /.../ d. <11. Decemb.> /.../. Dorpati Livonorum, 1652: J. Vogelius) H, BRAN, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Divitias Doctis DOMINI Dulcissima Dicta  
Dum Dant Devota Dexteritate Diu,  
Dextrum Doctrinae Documentum, Docte DALINE,  
Depromis Discens Dogmata Docta DEI.  
5 Dulcisonis Dictis Ditissima Dogmata Divum  
Doctis Dant Donum Deliciasque Diu  
Divitias Dives Dubio Discrimine Ducens  
Dogmata Dum Differt Deliciosa DEI.  
Dulcifluis Dictis DOMINO, Dilecte DALINE,  
10 Dogmata Disce Diu Deveneranda DEI.  
Divitiis Donec Discat Diffidere Dives,  
Dinumerata Digitis Dulcia Dicta DEI.  
Diffuge Dissidiam Docilis Discendaque Disce.  
Deliciosa DEVS Dogmate Dona Dabit.*

Doctissimo Dn. DALINO Disputaturo  
DORPATI  
Depropero Dedo Depono Depono.  
Daniel **Gruuff** Nycopensis,  
D. F. SS. Th. Stud.

26. Adr: Ernestus Christierni – Aut: Jacobus Abrahamus Stierncreutz (Disputatio theologica in Psalmum decimum quartum Davidis selectissimas notas exhibens, publicae censurae subjicietur in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati /.../ est /.../ praeside Andrea Virginio, /.../ respondente Ernesto Christierni, /.../ d. <> Jul. /.../. Dorpati Livonorum, 1652: J. Vogelius) H, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Docte Novenarum Cultor; Custos teneri aevi  
Usque mei fueris! Det bona cuncta DEus.  
Perge, velut pergis, studiis insistere honestis:  
Inde tibi, inde tuis commoda larga feres.*

Sic Dn. suo Praeceptorum, non ut debuit, sed  
ut potuit accinebat  
Jacobus Abrahamus **StiernCreutz** /  
Nobilis Svecus.

27. Adr: Magnus Laurentii Farlingius – Aut: Andreas E. Lilonius (De Salutifera Resurrectione, Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi oratio: quam, /.../ in Regia Gustaviana Adolphina Academia, quae Dorpati Livonorum est ad Embeccam, die 18. April. Anno 1652. publice /.../ memoriter enarrabat Magnus Laur. Farlingius, /.../. Dorpati Livonorum, 1652: J. Vogelius)

SKB, UUB, Lund UB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Doctissimo et Humanissimo Dn. Peroranti.*

Quae passus Christus pro nostra rite Salute,  
 Tristia quis poterit dinumerare mala?  
 Sangvineas guttas Salvator fudat in horto,  
 Membraque sangvineo rore cruenta fluunt.  
 5 Induit hunc rigidis lixarum turba catenis,  
 Impactos colaphos turgida mala crepat.  
 Commaculant sputo Dominum, excipiuntque flagello;  
 Et, pie Christe, tuum tundit arundo caput.  
 De Spina populus nectit jungitque coronam,  
 10 Quae capiti imprimitur, Christe cruenta, tuo.  
 Hinc humeros nudum, nudum omne a vertice corpus  
 Porrectae, immanes, imposuere Cruci.  
 Abluit effuso sic nostras sangvine sordes,  
 Redderet ut salvos nos miseros homines!  
 15 Pluribus haec verbis sonuere Academica Tempe,  
 Dum proponuntur dexteritate theses.  
 Nunc versus metricos cultor, *Doctissime MAGNE,*  
 Strenue Musarum, Sympatriota pie,  
 Dicis, quod mortem vicit, descendit ad Orcum  
 20 Destruxit Satanam; Tartareamque domum.  
 Tertia lux vivum devicta morte Ereboque  
 Protulit; inferno victor ab hoste redit.  
 Ille sua virtute omnes sublimior hostes  
 Obruit, et pedibus jam terit arma suis.  
 25 Hinc tibi quid voveam, FARLINGI, cultor amice  
 Eusebiae, et Studij lausque decusque sacri?  
 Opto tibi felix cursus sit, et usque perennis;  
 Vita resurrexit, Christus in astra vocat.  
 Opto tibi faciles successus pectore toto;  
 30 Propositumque precor prosperet ipse Deus.

Honoris et amoris ergo scr.  
ANDREAS E. LILONIUS, Upl. Svec.

28. Adr: Erlandus Erlandi Hiärne – Aut: Ericus Holstenius (De castitate oratio: quam /.../ in Regia Gustaviana Adolphina Academia, quae Dorpati /.../ est /.../ die 29. Maji, /.../ publice /.../ enarrabat Erlandus Erlandi Hiärne, /.../. Dorpati, 1652: J. Vogelius)

SKB, UUB, Lund UB, [Tartu UB]  
GRATULATIO

*Egregiae spei Juveni,*  
Dn. **ERLANDO Hiärne**/ *de Castitate docte*  
*Peroranti.*

His scriptis, ERLANDE, tuis, quae mittis in Orbem,  
Egregiae mentis das documenta tuae.

Perge etiam posthac doctis pallescere chartis,  
 Tinctaque Castalio linquere scripta thymo.  
 5 Tunc tua fama fames nunquam, mihi crede, futura;  
 Praemia pro meritis culta Minerva dabit.

L. Mque scribeb.  
 M. ERICUS HOLSTENIUS,  
 P.P.

29. Adr: Erlandus Erlandi Hiärne – Aut: Benjamin Krook (cf. 28) SKB, UUB, Lund UB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Te Phoebus docuit bene verba, ERLANDE, sonare:  
 Sic clarum nomen reddis in orbe; Vale.*

Quod gratulabundus apponebat  
 BENJAMIN **KROOK**.

30. Adr: Erlandus Erlandi Hiärne – Aut: Mattheus Matthiae Duderberg (cf. 28)  
 SKB, UUB, Lund UB, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

Cognato svavi, votis votum addere pergo:

His precor, ut coeptis adsit ab axe DEUS.

MATTHAEUS MATTHIAE **Duderberg**.

31. Adr: Ericus Holstenius et Dorothea von Wickeden – Aut: Zacharias E. Klingius (Sacris nuptiarum honoribus /.../ Erici Holstenii, in Regia Gustaviana Adolphina Academia, quae Dorpati /.../ est /.../ Hebraeae et Graecae ling. professoris ordinarij, sponsi: /.../ die 4. Maji, anno 1652. conjugium contrahentis cum /.../ Dorothea von Wickeden /.../ Nicolai von Wickeden, in /.../ Dorpatensium republ. senatoris, et praetoris oppidani filia, sponsa: quaevis fausta precantur Musae Embecciadēs. <Dorpati, 1652>: J. Vogel)  
 SKB, UUB, [Tartu UB]

EPITHALAMIUM

Excellens SPONSUS, mitisque pudicaque SPONSA,  
 Nunc quoniam festum connubiale parant;  
 Gratulor ergo piis Hymenaeis pectore toto,  
 Atque precor taedis prospera cuncta novis.  
 5 Absit ERIS thalamo, Svavis CONCORDIA regnet,  
 Sit MENS Una, FIDES par, sit et Unus AMOR!  
 Haec ut succedant, DEUS addat pondera votis,  
 Salve SPONSE, vale SPONSA simulque diu!

Hoc affectus prolixioris documento, eximiis et novis  
 Conjugibus libenter, meritoque gratificari voluit  
 Zacharias L. Klingius, D.  
 per Livon. Superint. et Academ.  
 Dorpat. Vice-Cancellarius.

32. Adr: Ericus Holstenius et Dorothea von Wickeden – Aut: Henricus Hein (cf. 31)  
 SKB, UUB, [Tartu UB]  
 EPITHALAMIUM

HOLSTENI, Hebraeae nitidissima gloria Lingvae,  
 Et Grajae; clarum dexteritate Decus:  
*Sic dotata venit tibi pulchris moribus Uxor:  
 Dulce Dei munus, DOREOTHEA venit.*  
 5 *Ingenio et vere excellit Pietatis amore;  
 Syncero floret corde profectus Amor.*  
*Jungantur paribus placide duo pectora flammis,  
 Constanter maneat deliciosa fides:*

10 *Sic semel incoepto perstant in amore Columbae,  
 Masculus et totum Foemina conjugium.  
 Omnia dilectis ut sunt communia Amicis,  
 Sic in conjugio singula juncta fluunt.  
 Communi charam generetis semine Prolem;  
 Alter et alterius rite juvetur ope.*  
 15 *Tempore vos longo Christi clementia servet;  
 Et niteant placidi commoda larga tori.*

Ita animitus vovet  
 Henricus **Hein** / U.J.D.  
 Professor, et Dicasterij Regij  
 Adessor.

33. Adr: Ericus Holstenius et Dorothea von Wickededen – Aut: Laurentius Ludenius (cf. 31)

SKB, UUB, [Tartu UB]  
 EPITHALAMIUM

*Delicium Sophiae, Decus immortale Lycei,  
 HOLSTENI, Hebraeae et Graeae Lux clara loquelae:  
 Divi Progenies GUSTAVI Regis ADOLPHI,  
 Heroina, Decus Patriae CHRISTINA; Serena*  
 5 *Arctoo Regina Throno, Solioque verenda;  
 Te, postquam vocitans ad sancta Academica Tempe,  
 Jussit, Dante Deo, Graeco Hebraeoque lepore  
 Corda creare Virum, monitisque et voce Magistra.  
 Inde, pie Graja sonuerunt Pulpita voce,*  
 10 *Quod bene Pythagoras, mens et quod celsa Thaletis  
 Dixit: Quaeque Novi, sanctis Oracula scriptis,  
 In Testamenti felix opus attulit unum  
 Dives Apostolicus Coelesti Numine coetus.  
 Inde pie Hebraea sonuerunt Pulpita voce:*  
 15 *Fulgentque Hebraeis hinc scripta sacrata loquelis  
 Biblia, Divini summus Thesaurus Amoris:  
 Et Veteri Testamento quae congrua sancte,  
 Hebraeis dicis Mysteria sancta loquelis.  
 Disperit Graecis Terra Hebraeisque dicata*  
 20 *Tempore praeterito: Verum, Duce et Auspice Christo,  
 Te Doctore, fluunt Graeci Hebraeique liquores  
 Jam reduces, qua se felix Academia torquet.  
 Annuat Omnipotens, rerum cui summa potestas;  
 Complacuit castae sanctis conjungere Muis*  
 25 *Delicium Veneris per connubialia jura.*

**DOROTHEA von Wickededen:**

Per Anag.

**Von Wickededen/ DEA THORO!**

Annuat Omnipotens; Virgo **von Wickededen**; illa  
 Est DEA legitimo DOREOTHEA THORO.

**M. ERICUS HOLSTENIUS:**

Per Anag.

*EO; IS: CHRISTVS LVMEN.*

- Annuat Omnipotens; et Pronuba flamma calorem  
Sollicitet; mistoque fluat conamine votum.  
30 DOREOTHEA tui monstras mihi signa favoris:  
*Dexter EO; dextre IS: CHRISTVS praenobile LVMEN,*  
*Ne titubent, gressu deficiente, Pedes.*  
HOLSTENI, sancto venerabilis ore Magister,  
Perge piis animis! Lingvarum munere dives,  
35 Hebraei et Graeci per te pia sacra loquantur.  
Hinc, Neonymphi, animis placidos conjungite mores:  
Accipiat Conjunx felici foedere Divam;  
Jamdudum cupido dedatur Nupta Marito:  
Legitimosque pie, CHRISTUS fortunet Amores.

Quod animitus precabatur  
Laurentius Ludenius, Ph. et U.J.D.  
Profess. Ordin. et Reg. Academ. Biblio-  
thecarius.

34. Adr: Ericus Holstenius et Dorothea von Wickeden – Aut: Sebastianus Wirdig (cf. 31)

SKB, UUB, [Tartu UB]  
EPITHALAMIUM

- Clare VIR HOLSTENI: viduos jam ducere soles*  
*Et renuunt volucres, squammigerique greges.*  
*Tuque dehinc viduo vel tota nocte recusas*  
*Tempore vernali, SPONSE, jacere thoro.*  
5 *Sit thorus iste Tuus felix! ita grator Amico*  
*Collegae, Tua sit prole referta domus!*

Sebastianus **Wirdig** / Med. D.  
et Profess. P.

35. Adr: Ericus Holstenius et Dorothea von Wickeden – Aut: Joachimus Crellius (cf. 31)

SKB, UUB, [Tartu UB]  
EPITHALAMIUM

- Cum jam, Sponse, Tibi prolixum scribere carmen  
non vacat, exclusus tempore, vota dabo.  
Conjugij vinclum<sup>92</sup> sit felix, svave, serenum:  
Et Tibi cum nupta gaudia mille paret.  
5 Vita, Salus, Suboles vobis, sine labe perennent,  
ac pia Fata rato Numine vota beent!

Vovet  
M. Joach. Crell.

36. Adr: Ericus Holstenius et Dorothea von Wickeden – Aut: Petrus Lidenius (cf. 31)

SKB, UUB, [Tartu UB]  
EPITHALAMIUM

*Ad Sponsum.*

Exiguum munus, cum dat tibi pauper amicus,  
accipito placide, et plene laudare memento,  
*Cato ait:* Eximium quanto magis ipse Jehova

<sup>92</sup> *vinclum* pro *vinculum* edd metri causa

- 5 *quando dat donum, placido hoc animo accipiendum?*  
*grates reddendae? donum et reverenter habendum?*  
 DOROTHEA ecce θεοῦ δῶρον cluit, ominis almi  
 nomen habens gratum, quippe hoc sacra pagina passim Prov.19  
*inculcat, Domini donum quod sit pia Sponsa.* v. 14.  
*Ergo animo laeto donum hoc, Clarissime Sponse,* c.18. v.22  
 10 *accipe, et hoc reverenter habe, sic experieris,*  
*prae vidua vita thalamus quod connubialis,*  
*commoda mille modis, oblectamenta que mille*  
*suppeditet, quodque haud quicquam sit compare dulci*  
 15 *dulcius in vita: quippe haec sola omnia amara*  
*dulcia quo fiant facit, haec onus omne mariti*  
*fida levat, socia haec fidissima sortis et omnis.*  
*Gratulor hinc merito tibi, Spectatissime Sponse,*  
*Candida amicitia, mihi multis cognite ab annis,*  
 20 *tale tibi donum quod demum contigit, optoque*  
*ut felix habeas hoc ipsum, in Nestoris annos!*

### An die Tugendreiche Jungfrau Braut.

- Nun blühet euer Glück/ Euer Stern jetzt aufgehet/  
 ein mild Favonius jetzunder Euch anwehet/  
 Ah! Ein holdsehligh Tag jetzunder Euch anblicket/  
 seht wie der Himmel schön mit Sternen wol gesticket  
 25 Euch anlacht/ das Erdreich/ deßgleichen und die Lüffte/  
 Wälder und Felder all/ sampt Thäler und Berg-Klüfften/  
 mit Euch jetzt freuen sich die singend Vögel=Schaaren/  
 sampt auch Wald=Theirlein all die sich jetzt sammen paaren/  
 Es freuen sich mit Euch die Fische groß und kleine/  
 30 dergleichen aller Welt Creatur ins gemeine/  
 in dieser edlern Zeit sich gar frölich anzeigen/  
 daß muß ja Luft und Freud in Euer Hertz erregen/  
 O zarte Jungfrau Braut/ daß I hr mit Euren Gatte  
 (den GOTT Euch heut zufügt/ der vielleicht wol gemattet  
 35 von Euer süsse Lieb/ sich an Eur Seite leget)  
 Euch hertzlich freuet/ und mit grösster Lieb I hn heget  
 drumb thut mit grosser Freud/ fort wies die Lieb wil haben  
 Euch segne GOTT der HErr reichlich mit seinen Gaben  
 an Leib und Seel all beyd/ auff Erden in viel Jahren/  
 40 hernacher samle Euch zum heiligen Engel=Schaaren.

Ita honoratiss. Neonymphis Amicis suis per dilectis

L. mque applaud.

Petrus Lidenius, Philos. M.

Prof. P. et Venerand. Facult. Theol.

Adjunct. in Acad. GUSTAVIANA.

37. Adr: Ericus Holstenius et Dorothea von Wickeden – Aut: Petrus Caroli Udenius (cf. 31)

SKB, UUB, [Tartu UB]

EPITHALAMIUM

Laeta dies haec est merito tibi, *Clare Magister*  
 HOLSTENI, Conjux qua tibi grata datur.

Hanc ornat morum splendor, mens dedita Christo,  
 Integritas, pietas, et probitatis honor.  
 5 Vivite concordēs, multas numerate Calendas;  
 Nil noceat vestro sors inimica Toro.  
 Crescat vestra domus bene partis rebus: amicus  
 Crescat amor: crescat sospite prole domus.  
 Hisce paucis ex animo, Neonymphis ita gratulari  
 debuit ac voluit  
 M. Petrus Caroli Undenius,  
 Pastor Turmae pedestris Carelianae.

38. Adr: Ericus Holstenius et Dorothea von Wickeden – Aut: Benedictus Vegrelius (cf. 31)  
 SKB, UUB, [Tartu UB]  
 EPITHALAMIUM

*O ver, tu recreas mentes, et corpora nostra!*  
*Omnia quae existunt, laetantur tempore veris.*  
**KOm/ kom/ du skö ne Nymphers Chor!**  
**Skoda denne Skara så stoor.**  
 5 **See/ see huru desse Jon=låg/**  
**Äcktas samman på denne Dag.**  
**Önska dem och så Lyckan god/**  
**Att thee lefwa med hiertans Mod/**  
**Länge wäll/ och i å hren må ng/**  
 10 **Uthan Jämmer/ Nö d/ Sorg och Twå ng.**

Votum.

**Högste Gud Fader/**  
**Send dine Englar/**  
**Som desse hielpa/**  
**Lefwa tillsamman/**  
 15 **Här uthi Werlden/**  
**Med största Glädie.**

Ex animo Neonymphis ita vovebat  
 M. Benedictus Vegrelius,  
 Sudermann-Svecus.

39. Adr: Ericus Holstenius et Dorothea von Wickeden – Aut: Israel Drysander (cf. 31)  
 SKB, UUB, [Tartu UB]  
 EPITHALAMIUM

Majus adest viridis; frondosa reducitur aestas;  
 Vernat et in madido seminis herba solo;  
 Unde pie gaudes nobiscum, *Clare Magister*  
 HOLSTENI, Docti stella corusca chori;  
 5 Garrula nam tignis nidum suspendit hirundo,  
 Luteolis veniunt lilia cincta comis.  
 Sed viridis Majus tibi dulcior esse recusat,  
 Quam thalamum scandens DOREOTHEA tuum.  
 Ergo tibi felix Majus; felicior autem  
 10 Virgo tibi stabili foedere juncta: Vale.

Ita Neonymphis gratulari voluit

40. Adr: Ericus Holstenius et Dorothea von Wickeden – Aut: Arnoldus Mahlstedde (cf. 31)

SKB, UUB, [Tartu UB]  
EPITHALAMIUM

מִיְהוּוֹ אִשָּׁה מְשַׁכְּלָה:  
שִׁיר קְשׁוּר

כִּר אֲשֶׁר הָאָהֶב אֶת־יְהוּוֹר  
אִשָּׁה וְלוֹ הַמְשַׁכְּלָה וַיִּכְרַח  
אֶתָּה מִלְּמַד הָאָהֶב יְהוּוֹר  
אִשָּׁה לָךְ כֵּן מְשַׁכְּלָה וְטוֹבָרָה:  
כָּרִי

קוּמָה אֱלֹהִים עֲזָרְתָּ צְמוּיִים  
לְהֵם וְתֵן בְּרַכְתְּךָ כְּגֹיִים:

- 10 *Omnia vincit Amor, et nos cedamus amori.*  
*Πάντα ἔρωσ ἦττά, πάντες καὶ ἔρωτ' ἐφίενται,*  
*Σὺν θαλερῶ κόριον, πρεσβυγενῆς καὶ ἀνήρ.*  
*Γνωμονικὸς, Πολίτης, καματώδης καὶ ὁ ἀγρεῖος*  
*Ἔστιν ἔρων, καὶ ἔων ἐν νεο-κοιτίδι παῖς.*
- 15 *Ζωῖδιον καὶ ἕκαστον ἐὸν τ' ἐπὶ γαίᾳ ὁμοίως,*  
*Τὴν ἀντοῦ Πάρισον ζητεῖ ἐφεμερέως.*  
*Ἔϊτα καλῶς ποιεῖς ἔνδοξε Διδάσκαλε τύνη,*  
*Σὺν πᾶσιν ζητῶν σεῖο ἑταίραν ἐκῶν,*  
*Καὶ σαυτὸν τῷ ἔρωτ' ἔθελούσιος αἰψ' ὑποβάλλων·*
- 20 *Κυπρογενοοῦς γὰρ αἰεὶ ἡ δύναμις μεγάλη.*  
*Χαῖρ' οὖν σὺν παρίσῳ ὈΛΣΤΗΝΙΕ κάλλιμενύμφε,*  
*Βέλτιστον τύνη ἄθλον ἔρωτος ἔχεις.*  
*Ἔγμμες μακρόβιοι βιοτέυετε Ὡ νεόνυμφοι,*  
*Ἔσθλά διδώ ὑμῖν Κοίρανος εὐρυμέδων·*
- 25 *Musarum Decus, HOLSTENI, praeclare Magister,*  
*Ducitur in thalamum DOREOTHEIA tuum.*  
*Illa Dei Donum, medicina futura Marito;*  
*Et Thalami requies: Nomen et omen habet.*  
*Ipse Deus praesens socios fortunet amores,*
- 30 *Floreat ut laeta prole beata Domus.*  
**I Hr wahrt Herr Bräutigam vor in Eurem gantzen Leben/  
von zarter Jugend auff/ gantz inniglich ergeben  
der Kunst=beliebten Schaar: Eur höchste Lust und Freud  
war bey den Musen nur/ I hr wust von keinem Leyd/  
Eur grö st Ergetzlichkeit/ war immerfort zu reisen  
nur zu der Musen-Städt/ zu wohnen bey den Weisen;  
Die Bücher wahren stets Eur beste Freud und Luft/  
die scharffe Feder I hr auch wol zu führen wust;  
I hr achtet keine Sorg/ auch wust I hr nicht was lieben  
noch freyen möchte seyn! Euch könte nicht betrüben  
Cupidons scharffer Pfeil/ noch Venus Listigkeit/  
ja all Eur Sinnen nur den Musen stund bereit.  
Wie kompt es aber nun daß I hr jetzt andre Sachen  
befind in Euren Sinn; die Euch abspändig machen  
von solcher Musen Schaar; Sagt Herr Professor werth?  
Wie ist Eur Edler Sinn so gänzlich umbgekehrt?**

Wer hätte doch vermeint daß Euch daß süsse Lieben  
 so weit durch ihre Krafft von solcher Schaar getrieben.  
 Es hat durch neue List der kleine Bogen=Gott/  
 40 solch Eur Vornehmen gut gemacht zu einem Spott/  
 Nun ist durch Venus List so bald in einer Stunden  
 all Eure Musen-Freund und Bücher=Lust verschwunden/  
 die schnelle Feder auch jetzt nicht mehr fliesen wil/  
 sie bleibt gemeiniglich bey jeder Sylben still.  
 45 Nun must I hr ferner hie fast alles lassen stehen/  
 und in ein ander Buch bißweilen blättern gehen/  
 dann I hr müst dencken jetzt/ wie I hr bald diß bald daß  
 muß kauffen/ schaffen Euch; der Liebsten auch etwas/  
 Da kompt die Zeit heran daß I hr müßt Hochzeit halten/  
 50 und selber billig auch des Bräutigams Stell verwalten!  
 Da denckt I hr ferner nach/ wie endlich I hr zu Bett  
 solt mit der Braut heim gehn/ und schlaffen in die Wett/  
 und gründet weiter mehr/ wie I hr nach solchem schlaffen  
 solt nehren Weib und Kind: I hr kriegt ja wol zu schaffen/  
 55 wenn I hrs bedencket wol: Und müst auch wol zur Zeit  
 mit Federn andrer Arth zu schreiben seyn bereit.  
 Nun sehet zu wie I hr wol beyderseits vorstehet/  
 Eur Ampt/ und auch zu Hauß nicht gäntzlich müssig gehet:  
 Gott geb Euch Glück dazu; daß man nach kurtzer Zeit  
 60 Eur Fleiß und Arbeit spühr/ daß I hr nicht müssig seydt.

*Votum.*

JAgh önskar nu edher kärelskande bäde/  
 Stoor hierteligh Gamman fö rathan all wå de;  
 Att reck na så må nga lycksaliga Stunder/  
 Så må nga i Haffsensdiup äre wijdunder/  
 65 Så må nga flagß diur uthi Skogen kringlö pa/  
 Så må nghanda Menskior i Werldenne kö pa/  
 Så må nga små Foglar så må nga flagß Duffwor/  
 Så må nga på Wijnträn och wåxa Wijndruffuor/  
 Så må nghanda Himmelem Stiernor beprijda/  
 70 Så må nga små Bockar i Bergß=Klippor klyffwa/  
 Så må nga flagß Booskap Pääherdar fö rswara/  
 Så må nga flagß Foglar i Skogen sigh paara/  
 Så må nga flagß will diur som Jägaren jagar/  
 Så må nga jagh önskar eer lyckliga Dagar/  
 75 Til thes aff stoor älder i mättade bliffue/  
 Och Dö dhen sist edher frå n annan fö rdrissue.

*Aliud.*

DSiwok eekscah prehk un Laimel/  
 Dews jumß dodh daus Behrn un Saime/  
 Peß scho ilga dsiwoschann/

80

**Buuß jumß wisses Lehtas gann.**

Dem Hr. Bräutigam sampt seiner hertzgeliebten Braut  
Zu Ehr-günstigen Gefallen schrieb dieses  
Arnoldus Mahlstedt.

41. Adr: Ericus Holstenius et Dorothea von Wickeden – Aut: Andreas Hellenius (cf. 31)

SKB, UUB, [Tartu UB]  
EPITHALAMIUM

*MAGISTER ERICVS HOLSTENIVS,*

*ET*

*JVNGFRAV DOROTHEA VON VVYCCEDEN,*

*NEONYMPHI*

*Per Anagr.*

*OH JESV, DVC TV! JVNGVNT HOS MYSTICA DORA,*

*VINCULA FERRE ET VOS, (EN NEONYMPHE!) REGE!<sup>93</sup>*

*VINCULA VOS JVNGVNT, NEONYMPHI, MYSTICA DORA.*

*OH JESV, haec FERRE HOS perfice, TV REGE ET HOS.*

Ἐτεόστιχον.

5

IVngItVr HOLSTENIVS IaM nVptVs DOREOTHEAE;

QVos IVngIs foVe o hIs prope et esse VeLIs.<sup>94</sup>

In felix auspiciū haec pauca gratulabundus  
reliquit

Andreas Hellenius,  
Arosia Westmann.

42. Adr: Ericus Holstenius et Dorothea von Wickeden – Aut: Ericus J. Munthelius (cf. 31)

SKB, UUB, [Tartu UB]  
EPITHALAMIUM

*Clare Professor, ovans thalamos conscende jugales,*

*HOLSTENI, felix Gloria Pegasidum;*

*DOREOTHEAM aequam de **Wickeden** excipe costam,*

*Moribus egregiis quae bene culta nitet:*

5

*Nos tibi cum casta thalami consorte precamur*

*Connubium felix et bona cuncta diu.*

*Connubialis amor sit praesto munere taedis,*

*Audiat ut Mater, quae pia virgo fuit.*

Amoris et debitae gratitud. ergo, Sympatriotae

Et Promotori suo pl. honorando, ita ani-  
mitus gratulari voluit

Ericus J. Munthelius,  
Westmann.

43. Adr: Ericus Holstenius et Dorothea von Wickeden – Aut: Matthias Wältt (cf. 31)

SKB, UUB, [Tartu UB]  
EPITHALAMIUM

*O Embecciadum Musarum Clare Professor*

*HOLSTENI, Sophiae gloria pulcra Deae:*

*Quartus abhinc annus jam sexto mense peractus,*

<sup>93</sup> Anagramma non recte constructum.

<sup>94</sup> Chronodistichon annum 1653 exhibens

5 *Ut tibi Dorpati Sponsa SOPHIA venit;*  
*Hic annus Sponsam quoque ti largitur opimam*  
*DORTHEAM Wickden/ quae Patre missa Deo.*  
*Hac de sorte tua gratantur carmine Musae,*  
*Conjugium felix et bona cuncta vovent.*  
*Edidit ut sobolem peramoena SOPHIA venustam,*  
 10 *Nomine quae claro dicitur, almus HONOS:*  
*Virtutis cultrix pariat sic DOREOTHEA*  
*Pignora, Lucina clara favente tibi.*

Haecce paucula debiti honoris et reverentiae  
 E. libens ac lubens apponere pro-  
 perabat  
 Matthias **Wältt** /  
 W-Gothus.

44. Adr: Ericus Holstenius et Dorothea von Wickeden – Aut: Georgius G. Gezelius (cf. 31)

SKB, UUB, [Tartu UB]  
EPITHALAMIUM

*Signa notant Veteres quatuor; quibus esse beatum*  
*Felicemque aliquem, soepe notare solent.*  
*Natio-Progenies; Pulcrum officiumque secundum;*  
*Conjugium blandum; et Mors pia dum sequitur.*  
 5 *Haec te non vane concernunt, Clare Magister,*  
*Fautor, Promotor tu studijque mei.*  
*Ex signis Populus quenquam si iudicat istis;*  
*Clare Vir, his signis jure beatus eris.*  
*Est tibi progenies magna et Laudabilis omnis,*  
 10 *Egregio gaudes officioque bono.*  
*Conjugium, blandum, felix, faustumque, jugali*  
*Vincolo<sup>95</sup> coepisti jam sociare tibi.*  
*Connubio stabili tibi jungitur, aequa Virago,*  
*Quae pia, Pulcra; tibi Sponsa pudica, venit.*  
 15 *Gratulor inde tibi; summe, et pro viribus opto,*  
*Vt vivas; chara et Conjuge laetus oves.*  
*Vivas longaevus; seram vitamque peractam,*  
*Mors sit vitai janua perpetuae.*

Hisce Fautori et Promotori suo honorando,  
 gratulari voluit  
 Georgius G. Gezelius,  
 Westman.

45. Adr: Ericus Holstenius et Dorothea von Wickeden – Aut: Petrus Laurentij Arbogensis (cf. 31)

SKB, UUB, [Tartu UB]  
EPITHALAMIUM

Surgite jam Musae, bene dicite voce sonante;  
 DOREOTHEA Pio jungitur HOLSTENIO,  
 Vivant concordēs, crescat bona copia rerum;  
 crescant divitiae, progeniesque pia.  
 5 Vobiscum praesens sit Christus, coepta secundet.  
 Eveniant votis et potiora meis.

<sup>95</sup> *vinclo* pro *vinculo* edd metri causa

Petrus Laurentij Arbogiensis,  
Westmann. SS. Th. Stud.

46. Adr: Ericus Holstenius et Dorothea von Wickededen – Aut: Nicolaus Garfluvius (cf. 31)

SKB, UUB, [Tartu UB]  
EPITHALAMIUM

*Ingeminant plausum, nunc vernant, laetaque rident,  
Quae prius oppressit trux feritatis hyems:  
Vivida sic surgunt, speciemque propagine magna  
Augent, atque cibant, et nocitura fugant.*  
5 *Haec, documenta tibi dum sumis, clare PROFESSOR  
HOLSTENI, casta conjuge dexter amas.  
Florescas semper, laetusque propagine multa  
Germen producas, progeniemque piam.  
Et tecum numeret conjux pia Nestoris annos,*  
10 *Omne laeta bono, Nomine laeta dato.*

Promotori suo magno ita congratulatur  
Nicolaus Garfluv.  
Arbogia Vestm.

47. Adr: Ericus Holstenius et Dorothea von Wickededen – Aut: Johannes Luth (cf. 31)

SKB, UUB, [Tartu UB]  
EPITHALAMIUM

*Munera cuncta Deus nobis concedere siveit,  
Quando voce pia sollicitatus erit.  
Numinis hinc Donum, multum Praeclare MAGISTER,  
Gratius omni auroque aereque, virgo datur.*  
5 *DOREOTHEIA datur, quae dextram pacta fidelem  
In thalamos, thalamis jam sociata piis.  
Gratulor inde tibi, casta quod conjuge felix,  
Auspiciis Christi vivat uterque bene:  
Vita Deo sit grata: sit omni libera lite:*  
10 *Omni et ab infausto libera vita fluat.*

Fautori suo singulari, singul. mentis affectu  
acclamabat  
Johannes **Luth.**

48. Adr: Ericus Holstenius et Dorothea von Wickededen – Aut: Olaus Dalinus (cf. 31)

SKB, UUB, [Tartu UB]  
EPITHALAMIUM

Nomina

*Dn. Neonymphorum Foedus Matrimoniale ineuntium  
per Ἀκροστιχ.*

*M. agnifice M ajo M orata M arita M agistro  
D onatur D octo, D OREOTHEA, D eo;  
E xcipit E gregiis E lectus E RICUS E ricam,  
O mnipotentis O vans O ptimus O ptat O pes:*  
5 *R ecto R ex R egum R egnator R obore R erum  
R oscida R egra R egat, R elligione R ata,  
I nsimul I n-que-vocat I uncti I o I ura I ehovae,  
O mnibus O ptatis O mnitenentis O nus.*

- C um C astis C horeis C um C armina C orde C anentur  
 10 T ranslati T eneant T ecta T erenda T ori.  
 U t V aleant, V oveo, V enturam V ivere V itam,  
 H erbiferis H ortis, H inc H ymenaesus H ymen,  
 S ponso S era S alus, S alve S vavissima S ponsa,  
 E xtet E t E gregiis E xitus E ulogiis  
 15 H. espereis H ortis H aerens H OLSTENIVS H aeres;  
 A lliget A stripotens A rborem A moris, A men.

## Distichon

*Annum, Locum, et Personas Matrimonij foedus contrahentes  
 exprimens.*

Vt DORTHEA VIro IVVenI VenIt haeCCe VenVsta  
 ERICO Dorptae; nVnC IoVae gLorIa CoeLo.<sup>96</sup>

*Aliud cum Voto.*

- LaetIs VI ManIbVs IVnCtlS haeC Laeta preCabor,  
 20 EXCresCant VIreant, SVaVIa Vera Toro.<sup>97</sup>

Ita Fautori et Promotori suo magno, in faustum Nuptiale Omen,  
 accinebat Amica mens, et gratulabundus calamus  
 Olai Dalini,  
 W-Gothia Sveci.

49. Adr: Ericus Holstenius et Dorothea von Wickeden – Aut: Laurentius Calander (cf. 31)

SKB, UUB, [Tartu UB]  
 EPITHALAMIUM

En precor, HOLSTENI, mi *Fautor*, corde fideli,  
 Conjugio stabili cum casta Conjuge Vive.  
 Praesto sit sponsae, *Christus*, qui Fautor amoris;  
 Vivite foecundi; progignite pignora multa.

Felicis ominis ergo app.  
 Laurentius Calander.

50. Adr: Ericus Holstenius et Dorothea von Wickeden – Aut: Benjamin Krook (cf. 31)

SKB, UUB, [Tartu UB]  
 EPITHALAMIUM

*Christe; Tu coeli Pater et Monarcha!*  
*Tuque Mundi summe Parens et orbis;*  
*Qui jubes casti Thalami beata*  
*Jura subire:*

- 5 *Hisce da nuptis, rogo corde toto, ut*  
*Nestoris castos vigeant in annos;*  
*Facque perdulces numerent Nepotes,*  
*Pignora lecti.*

Quod animitus apprecatur  
 Benjamin **Krook**.

<sup>96</sup> Distichon annum 1652 exhibens

<sup>97</sup> Distichon annum 1652 exhibens

51. Adr: Ericus Holstenius et Dorothea von Wickededen – Aut: Svenno E. Scriberus (cf. 31)

SKB, UUB, [Tartu UB]  
EPITHALAMIUM

Vivite Concordes, SPONSI, bene turturis instar;  
Progeniem nutrite Piam; Loca tuta volatu,  
Quaerite; quae magni sunt coelica templa JEHOVAE,  
Voce ubi coelesti laetos cantabitis Hymnos.

Ita Gratulationis causa deproperabat  
Svenno E. Scriberus,  
Arosia Westman.

52. Adr: Ericus Holstenius et Dorothea von Wickededen – Aut: Erlandus Erlandi Hiärne (cf. 31)

SKB, UUB, [Tartu UB]  
EPITHALAMIUM

*HOLSTENI, o nostri nitidissima fama Lycei,  
Vivida perpetuae nomina laudis habes.  
Sed nunc Justitiae radiis illuminet almīs  
Conjugium thalamus; quod precor ex animo.*

Haecce debitae observantiae ergo reliquit  
Erlandus Erl. **Hiärne** /  
Ingria Svecus.

53. Adr: Ericus Holstenius et Dorothea von Wickededen – Aut: Joannes Kreilingius (Ehren-Gedichte, Auff das Hochzeitliche Freuden-Fest, /.../ Erics Holstenii, Graecae et Ebraeae Linguae Profess. Ordinarij, Bräutigams und /.../ Dorothea von Wickededen, /.../ Nicolaus von Wickededen, Rathsverwandten und Landvogts der Stadt Dorpt /.../ Tochter, Braut; welches den 4. Maji /.../1652. Jahrs feyerlich begangen: Von der Deutschen Nation verfertiget. Dörpt, 1652: J. Vogel)

UUB, [Tartu UB]  
EPITHALAMIUM

Sponsus amet Sponsam, Sponsus redametur ab illa;  
Fictus amor pereat, verus amor maneat.

Gratulabundus posuit  
Joannes Kreilingius,  
Gvestphalus.

54. Adr: Ericus Holstenius et Dorothea von Wickededen – Aut: Petrus Horn (cf. 53) UUB, [Tartu UB]

EPITHALAMIUM

Sic Pietas, castam casta tibi voce Puellam  
Conciliat; Sophiae Lausque Decus Deae:  
Egregiis prognata Atavis: affusa labellis  
Gratia, quam decorat virgineusque Pudor:  
5 Quam pridem gravium Probitas pulcherrima morum  
Legitimo placide junxit amore tibi.  
Hac cum vive diu; sit mens una, una voluntas;  
Nullaque conjugij gaudia turbet Eris.  
10 Vivite felices; vivat numerosa Propago,  
Et voti victor vivat uterque sui.

Sic animitus gratulabatur  
Petrus **Horn** /  
Dabera Pom.

55. Adr: Ericus Holstenius et Dorothea von Wickededen – Aut: Zacharias Koch (cf. 53)

UUB, [Tartu UB]  
EPITHALAMIUM

*Qvod vitae sociam tibi jungis, clare Magister,  
 Gaudeo: Propositum laudo proboque tuum.  
 Namque Dei donum surgit nitidissima Conjunx,  
 Haecque Dei Donum DOREOTHEIA venit.*  
 5 *Est Pietatis amans, sanctae Probitatis amica est,  
 Et te synceri cordis amore fovet.  
 Hanc Patria celebrem, pulcrisque Parentibus ortam,  
 Jam tibi perpetuo jungit amore Deus.  
 Hinc tecum juvet Vxori conjungere Musas,  
 10 *Quas dexter Conjunx factus amare potes.  
 Vos juvet aeterni semper sentire favorem  
 Numinis, et soli fidere mente Deo.  
 Aurea pax mensam; thalamum concordia cingat:  
 Divitiae crescant, et pia progenies.**

Sic lubenti animo precatur  
 Zacharias **Koch** / Pritz-  
 vvaldensis Marchiacus.

56. Adr: Ericus Holstenius et Dorothea von Wickeden – Aut: Andreas Büstorffius (cf. 53)

UUB, [Tartu UB]  
 EPITHALAMIUM

Spargite jam violas, et jo resonate puellae;  
 Sitque salutaris dicite coeptus hymen,  
 DOREOTHEA etenim nuptum datur illa Magistro;  
 Flos pietatis amans, virginitatis honos.  
 5 *Vir Venerande, tuam cape <fausto sydere charam>,  
 Sedibus aethereis quae Tibi Sponsa venit.  
 Transige Nestoreos salvus feliciter annos;  
 Sponsa tua ad Pylios vivat amata dies.  
 Atque ego quod nequeo calidis comprehendere votis,  
 10 *Compleat Omnipotens qui dare quaeque valet.**

Haec debiti honoris ergo adjicere debuit,  
 voluit

Andreas Büstorffius,  
 Ascaniensis Saxo.

57. Adr: Ericus Holstenius et Dorothea von Wickeden – Aut: Friedrich Wilhelm Lado (cf. 53)

UUB, [Tartu UB]  
 EPITHALAMIUM

Ut DEUS est castus, castaque ut mente colendus;  
 Sic thalami casti vincla subire jubet.  
 Res igitur sacras tractas, *Clarissime Sponse,*  
 Dum thalami casti vincla<sup>98</sup> subire paras.  
 5 *Incoeptis adsit thalami qui Fautor et Autor,  
 Faecundetque tuam prosperitate domum.  
 Adsit verus ἔρωϛ, ἔπιϛ exitiabilis absit;  
 Et veniant vestro pignora grata toro.  
 Ex animo vobis voveo felicia quaeque:  
 10 *Det DEVS haec animi sint rata vota mei!**

<sup>98</sup> *vincla* pro *vincula* edd metri causa

**Auffgabe.**

Dem Bräutigam giebt die Braut was sie hat selber nicht/  
 und daß was sie schon giebt/ Jhr nimmer doch gebricht/  
 Jhr Jungfern werdet Jhr den Außspruch lösen können/  
 so wird man euch der Braut zu folgen nach vergönnen:  
 5 Die solche duncKelheit nVn nicht verStanden hat/  
 Die komme nur zu mir zu holen ein den Rath.

Dieses setzt in Eil  
 Friedrich Wilhelm Lado /  
 von Quedlinburg aus Sachsen /  
 der Rechten Geflissener.

58. Adr: Torstanus Laurentij Milander – Aut: Olaus S. Dalinus (De libertate politica oratio: quam, /.../ in Regia Gustaviana Adolphina Academia, quae Dorpati /.../ est /.../ die 27. Martij, anno 1652. publice /.../ enarrabat Torstanus Laurentij Milander, /.../. Dorpati Livonorum, 1652: J. Vogel)

Karlstad StB, H, [Tartu UB]  
 GRATULATIO

*Humanissimo et Doctissimo*

DN. PERORANTI:

Torstanus Laurentij Milander Verme-  
 landia, Svecus.  
*Κατ' ἀνάγκη.*

Deus renes & ilia omnia re scrutatur,  
 amandus; Nulli.

*Libertas perdulce bonum, bona caetera condit,  
 Libertas cibus est, svavis super omnia mella:  
 Libertas auro fulgenti charior omni,  
 Hinc Nulli fulvo libertas venditur auro.*

5 *Hoc sancte meditans, dum tu patriota MILANDER  
 Hanc nae condignis virtutem laudibus ornas  
 Concinna methodo proponens ordine cuncta,  
 Jam precor absolvas pensum conamine docto.*

10 *Ilia, qui Deus, et renes scrutatur, amandus:  
 Omnia, quique regit, Revera ac sidera coeli.*

Ἐτελογικὸν.

CresCe, proVt CresCIs, sVCCresCe, opVLesCe, ViresCe,  
 FInIbVs eXVrgas patrIIs Vt, Chare soDaLIs.<sup>99</sup>

Syncerae affectionis et honoris ergo, festinanter  
 cecinit

OLAUS S. DALINUS /  
 W-Gothia Svecus.

59. Adr: Samuel Matthiae Tholia – Aut: Ericus Holstenius (Lamentatio in /.../ obitum /.../ Samuelis Matthiae Tholia, Regij Wiburgensis Gymnasij alumni /.../ Matthiae Jacobaei Tholia, civitatis ejusdem pastoris /.../ nec non dioecesis ejusdem archi-praepositi /.../ filii /.../ die 2. Augusti, anno 1652.

<sup>99</sup> Eteologikon annum 1652 exhibens

animum /.../ exhalantis; cujus exequiae eodem anno, mensisque ejusdem die sexto ibidem in templo cathedrali, /.../ sepulchro concreditae; scripta a condolentibus. Dorpati Livonorum, 1652: J. Vogel)

H (def), [Tartu UB (def)]  
EPICEDIUM

Vita quid est hominum? *gemitus, morbique laborque,*  
*Omnibus haec horis mille repleta malis.*

Manibus ergo tuis grator defuncte periclis  
Fallacis mundi: Coelica tecta tenes!

Quod Moestiss. Dn. Parenti in solamen  
deprop.

M. ERICUS HOLSTENIUS,  
Heb. et Graec. Ling. Prof. Ord.

60. Adr: Samuel Matthiae Tholia – Aut: Joannes Rachlizius (cf. 59)

H (def), [Tartu UB (def)]  
EPICEDIUM

*Fata vocant, SAMUEL, tete sub tecta beata*  
*Civibus adscriptus quo modulere poli!*

*Cordivoris rides exutus turbida rebus,*  
*Mundi temnis onus, sola superna probas.*

5 *Sangvine me, juncti Condiscipuli atque Parentes,*  
*Non lugete, omni ex parte beatus ago!*

*Annus, Mensis et dies sepulturae.*

ECCe Clto SAMVEL heV LIInqVIs In orbe Parentes,  
SeXtILI SeXto BVsta LoCata SVbIs.

SAMUEL MATTHIADES TOLIA:  
*ἀναγραμματισθείς*  
ALMI OS DEI, THUS TALE AMAT.

10 Os almi *resonando DEI praeconia laudum es;*  
Thus amat *Altipotens tale, probatque Pater.*

Τῆς συμπαθείας ἔνεκα p.  
M. JOANNES RACHLIZIUS.

61. Adr: Samuel Matthiae Tholia – Aut: Ericus J. Muthelius (cf. 59)

H (def), [Tartu UB (def)]  
EPICEDIUM

Pie Defunctus ad Viatorem.

*Dic mihi, qui tumulum hunc pertransis, chare VIATOR,*  
*Num datur hic homini tuta manensque plaga?*

*Non reor: Humanae nulla est constantia vitae!*  
*Pagina ceu varie sacra probare solet.*

5 *Hic jaceo SAMUEL demptus juvenilibus annis,*  
*Optima spes MATRIS, magna quiesque PATRIS.*

*Hic jaceo! verum rutilo susceptus Olympo,*  
*Felix aeternis perfruor usque bonis.*

*Haec tibi dicta volo, qui transis, chare VIATOR,*

10 *Vive memor lethi mors tua teque manet.*

Συμποθείας ergo scripsit  
Ericus J. Muthelius,  
Westman.

62. Adr: Samuel Matthiae Tholia – Aut: Olaus a Börger (cf. 59)

H (def), [Tartu UB (def)]  
EPICEDIUM

Fautor ne doleas plus nimio, memor  
Denatae Sobolis: Neu miserabiles,  
Effundas elegos; cur tibi vis Necis  
Votis praeveniat tuis?  
5 Horrendam Lachesin fronte nigellula,  
Christi fallit amor; Morte beatulam.  
Extingvit Sobolem: Non: prius Inferis *Ad Imitat.*  
Jungentur Superi Diis, *Horat. ad*  
Quam morte o Soboles concidat ultima! *33. l. 1. Car.*  
10 Sic visum Superis, queis placet entheas  
Mentes, atque animas sub juga Atlantica  
Fortem ducere per manum.  
Ipsum te melior jam capiet salus;  
Grato te tenet hinc Numine Jesulus  
15 Christus; Coelicolis aethereis datus,  
Et cantas Domino melos.

*Aliud.*

**Ach weh/ daß auch zu letzt der Würger kan bezwingen  
die Jugend dieser Welt! Ach daß er sie kan bringen  
zu sich ins finster Grab! Ach er hat meinen Freund  
20 der Jugend Tugend Kron/ ja den ich wol gemeynt.  
Der Eltern grosse Lust/ an welchen zu erleben  
Sie wolten Freud und Trost küffftig in seinen leben.  
Den hat der bleiche Todt frühzeitig und geschwind  
zu sich gerissen hin/ daß allerliebste Kind!**

Consolatio ad Defuncti Dn. Parentes.

25 **Ach Eltern trauret nicht! I ch bin jetzt nicht verlohren/  
sondern durch diesen Todt zum leben außerkohren/  
I ch schaue nun mehr an den HERREN Zebaoth -  
den König aller Welt/ den dreyeinigen GOTT.  
Mein Cörper ruhet sanfft biß daß in jenem Leben/  
30 I hm wird sein edle Seel mit Freuden wieder geben.**

Condolens app.  
Olaus a **Bö rger**.

63. Adr: Samuel Matthiae Tholia – Aut: Benedictus Canuti Cunelius (cf. 59) H (def), [Tartu UB (def)]  
EPICEDIUM

*Vita mea est velut umbra, cito quae praeterit jctu,*

*Vita mea est veluti Flos, qui cadit arbore crescens,  
 Vita cito floret, celeri marcescit et ictu.  
 Sic Hominum fragilis vita est semperque caduca,  
 5 Quae quando crescit, pariter descrescit in horis.  
 Dant exempla fidem, qua primum nascimur hora,  
 Prorepunt juncto pede vitaeque morsque parata,  
 Paulatim morimur, momento extingvimur uno!  
 Hoc probat exemplo Samuel Toliander oberto.  
 10 Crescebat primo veluti flos laetus ab ortu,  
 Et Musis addictus erat. Pater ipse Verendus  
 Ipsa verenda Parens sperabant gaudia laeta  
 Quando cadit subito properata morte peremptus.  
 Hinc o tota domus lachrymis flet moesta suborbis,  
 15 Ille sed in Christo moritur; coelumque subintrat  
 Mens pia! cum Christo conjungitur: et bene vivit.  
 Corpus humo tegitur; tandem terraque resurget  
 Fulgebit toto lux quando novissima coelo:  
 Filius hic postliminij tum jure videndus.*

Extremi honoris causa inter lacrymas  
 scribebat  
 Benedictus Canuti Cunelius,  
 Wib-Carelius.

64. Adr: Samuel Matthiae Tholia – Aut: Andreas G. Kyander (cf. 59)

H (def), [Tartu UB (def)]  
EPICEDIUM

*Heu dolor et lachrymae? lachrymae sunt signa doloris:  
 Cernimus en gelidum stare cadaver ibi.  
 Quod fuit ante domus, vitae, virtutis et artis,  
 Fatalem ante diem succubisse ferunt.  
 5 Majores in Luce moras si fata dedissent:  
 Altius et virtus, isset et artis Amor.  
 Ast spes quae fallax, praeceps re cassa peribat,  
 Et Patri lachrymis humida sarta dedit.  
 Hinc flendi Genitrix o semina tota reposcit,  
 10 Guttis et tinctas pergit habere genas.  
 Hinc canit exsequias Frater fratri unicus uni,  
 Addit et his gemitus tristior una Soror.  
 At tu, qui luctus retulisti morte Parenti,  
 Aeternum SAMUEL, per pia fata, VALE.*

In moestissimorum Dn. Parentum quaecunque Solatium,  
 haecce apponere voluit ac debuit  
 Andreas G. Kyander,  
 Brahelinna Savonius.

65. Adr: Samuel Matthiae Tholia – Aut: Michaël S. Wannius (cf. 59)

H (def), [Tartu UB (def)]  
EPICEDIUM

*Eheu! Quam subito, Samuel, mors omnibus aequa  
 Abrupit vitae stamina pulchra tuae:  
 Pocula nec sivit, quae propinabat Apollo  
 Thespios, ulterius dulcia aquae bibere.*

- 5 *Sed fortunatum extingvi sub flore <ju.....><sup>100</sup>  
Et primis annis succubuisse neci.  
Hanc horam faustam voco, qua ad coelestia vectus  
Regna; pio Christo consociatus ades.*

Haec paucula condolens reliquit  
Michaël S. Wannius.

66. Adr: Samuel Matthiae Tholia – Aut: Matthaëus Tavvoniùs (cf. 59) H (def), [Tartu UB (def)]  
EPICEDIUM

- En recubat SAMUEL, properata morte peremptus:  
Scipio Matris erat, Scipio Patris erat.  
Conditus hic dormit primis animosior annis,  
Doctrina praestans, ore disertus erat.  
5 Mens pia flammiferi conscendit culmen Olympi,  
Sed gelida in tumulto molliter ossa cubant.  
O Deus! annos qui numeras mensesque diesque,  
Tu vitam serva pro bonitate datam.

Dolenti animo et calamo  
conscripsit  
Mattheus Tavvoniùs,  
V. C.

67. Adr: Samuel Matthiae Tholia – Aut: Nicolaus Könberg (cf. 59) H (def), [Tartu UB (def)]  
EPICEDIUM

- Occubuit, dolor heu, frater SAMVEL TOLIANDER,  
Qui Matris fuerat Deliciumque Patris.  
Formosus fuerat; charis solatium Amicis.  
Lugent hunc, juncti proximitate Viri.  
5 Ille sed immigrans arcem coelestis Olympi,  
Cum Domino Christo vivit amabiliter.*

Ultimi honoris gratia condolenter  
scribebat  
Nicolaus **Kö nberg** /  
Wiburgo Carelius.

68. Adr: Elaus Nicolai Tollenius et Catharina Griis – Aut: Zacharias Klingius (Epithalamia solenni nuptiarum festivitati /.../ Elai Nicolai Tollenii, ecclesiae Svecanae, quae Christo ad D. Mariae Dorpati colligitur, in verbo ministri /.../ scholaeque Svecice ibidem con-rectoris /.../ sponsi; /.../ die 29. Januarij, anno 1652. sacro conjugij foedere Dörpati sibi associantis /.../ Catharinam Griis, /.../ Gunnari G. Griis, /.../ dstrictus Revaliensis quondam camerarij /.../ filiam, sponsam: a fautoribus et amicis consecrata. Dorpati Livonorum, 1652:J. Vogelius) Linköping LB (def), [Tartu UB]

EPITHALAMIUM

Vivite FELICES. CONCORDIA sancta DUORUM  
CORDA liget: SVAVIS sit sine fine TORUS!

Ita ex animo precatur  
ZACHARIAS L. KLINGIUS, D.  
per Liv. Superint. et Acad. Gustav.  
Vice-Cancell.

69. Adr: Elaus Nicolai Tollenius et Catharina Griis – Aut: Johannes Stregnensis (cf. 68)  
Linköping LB (def), [Tartu UB]

<sup>100</sup> Textus corruptus H

## EPITHALAMIUM

Vir Reverende, *tibi devoto pectore Sponsam*  
*Quod jungis, Summo constituyente DEo;*  
*Gaudeo: propositumque pium laudoque proboque,*  
*Et precor incoeptis fata beata tuis.*  
 5 *Sis felix: Sponsam CATARINAM amplectere, cujus*  
*Et pudor, et pietas, et nitet ore Fides.*  
*Est celebris patria, celebrisque parentibus orta;*  
*Dos, Morum Virtus deliciosa, venit.*  
*Sit vobis Mens una, pie sit et una Voluntas;*  
 10 *Nec data Conjugii gaudia, turbet Eris.*  
*Nascatur Soboles; accrescat copia rerum:*  
*Tecum et agat longos hinc CATHARINA dies.*

Honoris ergo haec scripsit  
 M. JOHANNES STREGNENSIS,  
 Prof. P. ac p.t. Acad. Gustav. Rector, ut et  
 Supremi Regii iudicii in Livo-  
 nia Assessor.

70. Adr: Elaus Nicolai Tollenius et Catharina Griis – Aut: Laurentius Ludenius (cf. 68)

Linköping LB (def), [Tartu UB]  
 EPITHALAMIUM

*Comis, blanda, decens, et Moribus aequa, Virago*  
*Jam CATARINA tibi, Vir Reverende, datur:*  
*Gratulor! unanimi vos jungat copula nexu;*  
*In vita, morum gratia svavis, eat.*  
 5 *Instar foecunae sit Conjunx Candida vitis,*  
*Nullarum et vobis copia desit opum.*

Quod animitus app.  
 Laurentius Ludenius, Ph. et U.J.D.  
 Profess. et Reg. Academiae Biblioth.

71. Adr: Elaus Nicolai Tollenius et Catharina Griis – Aut: Ericus Holstenius (cf. 68)

Linköping LB (def), [Tartu UB]  
 EPITHALAMIUM

*Quos DEus conjunxit homo non separet.*

*Iunguntur stabili Neonymphi foedere nostri,*  
*Separat hos junctos, non nisi Morta ferox.*  
*Hos junctos jungat pietas quoque, dulcis amorque:*  
*Separet haud ullum cordaque juncta Malum.*  
 5 *Et tandem junctos cum Mors hic separat atrox*  
*Sejunctos jungat, gloria parta piis.*

Ita vovet  
 M. ERICUS HOLSTENIUS,  
 P.P.

72. Adr: Matthias Nicolai Wältt – Aut: Benedictus Vegrelius (Disputatio physica de anima rationali; quam in Regia Academia Gustaviana Adolphina, /.../ sub praesidio /.../ Johannis Erci Stregnensis, /.../ pro summo in philosophia gradu, ejusque privilegiis obtinendis, /.../ publico /.../ discussui submittit Matthias Nicolai Wältt, /.../ ad diem 25. Augusti 1652. /.../. Dorpati Livonorum, 1652: J. Vogel)

H, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Praestantissimo atque Literatissimo Viro*

*Juveni*DN. MATTHIAE NICOLAI **Wältt**Phil. Candidato meritissimo, pro Laurea Magisteriali  
erudite disputanti.*Naturam en animae, Musarum Candide cultor  
MATTHIA Wältt Stregnensi sub Praeside monstras:  
Atque strophas multas dextro conamine solvis.  
Laudo conatum, Laudat teque Ingria tellus.*Brevioribus hisce fraterno ex animo  
gratulaturM. Benedictus Vegrelius,  
Suderman-Svecus.

73. Adr: Matthias Nicolai Wältt – Aut: Olaus Dalinus (cf. 72)

H, [Tartu UB]  
GRATULATIOMATTHIAS NICOLAI **Weltt**/*Per Anagr.*ITA LAUS MANET HUIC, LITO.<sup>101</sup>

Digna cedro reMANET sententia; γνῶτι σεαυτον,  
Quod coelo lapsum mentibus esse ferunt.  
Namque suam ignorans animam ratione fruentem,  
Errat et in multis nescit habere modum.  
5 Hoc patet exemplis Doctorum rite virorum  
Plurima qui scriptis composuere suis.  
Hoc quoque perdocte es meditatus, sympatriota;  
Concinnis Thesibus svaviter hisce probas,  
Quas Cathedram scandens, *Stregnensi Praeside Claro*  
10 Defendis, docta sedulitate tua.  
HUIC MANET insignis LAUS et pius ardor honoris,  
Pulcras qui Musas nocte dieque colit.  
Aonias ITA rite colas, quo tangere metam  
Possis, quam fixit, Clarus Apollo tibi.  
15 Accipito hinc votum: Domino LITO mascula thura  
Ut te conservet, Sympatriota, Vale

*Anno*ConteXtos VersVs graCILI CrassaqVe MInerVa  
EXsCrIpsIt Charo popVLarI sortIs honore.<sup>102</sup>Olaus Dalinus,  
W-Gothia Svecus.

74. Adr: Margaretha von Zöge et Christina-Elisabetha von Bellingkhaussen – Aut: Laurentius Ludenius (Trauer-Klagen, über die /.../ Todesfälle /.../ des Herrn, /.../ Johann-Eberhard von Bellingkhaussen, Freyherrn auff Vltzen, Herrn zu Vrbs und Kumula, /.../ General Major und Land-Rath des Dörptischen Kräyses in Lifland /.../ Ehgemahls /.../ Margaretha von Zöge, /.../ und /.../ Töchterleins /.../ Christina-Elisabeth von Bellingkhaussen, /.../ Welche als erstlichen das S.

<sup>101</sup> Anagramma non recte constructum.<sup>102</sup> Chronostichon annum 1652 exhibens

Fräulein zu Riga den 17. Aug. im 7. Jahr ihres Alters, die S. Frau aber zu Kegeln den 1. Septemb. Anno 1651. im 45. Jahr ihres Alters /.../ sind eingeschlaffen, und zu Riga Anno 1652. den 5. Febr. /.../ in der Thumkirchen beygesetzt worden, aufgesetzt von guten Freunden. Dorpt, 1652: J. Vogel)

UUB (def), EAB, [Tartu UB]  
EPICEDIUM

- Soepius ante diem dolor ima relapsus ad ossa  
Cum furit, atque artus depascitur arida febris;  
Membra minutatim morbo collapsa trahuntur,  
Donec Mors Animam, nexosque resolverit artus!*
- 5 *Clara Genus, clarumque trahens a sanguine Nomen  
MARGARIS a **SZÖGEN**; meritis nitidissima Mater;  
Et titulis fulgens Illustris Filia Virgo  
CHRISTINA ELISABETH; potuere abrumpere vitam!  
Ante diem potuere novissima dicere verba!*
- 10 *A Proavis Matri Genus ingens: Clara Paternae  
Gloria Virtutis: Bello cum longa cohortes  
Explicuit legico, et campo stetit agmen aperto:  
Tum simul est visus Pater ipse GEORGIUS armis  
A **Szögen** clarus; stragemque ciere tremendam;*
- 15 *Donec jam spoliis Victor laudatus opimis,  
In castra ille pedem multa cum laude reflexit.  
Et Genus, illustri pariter Materna beatum  
Nobilitas Matri dedit: Haec CHRISTINA vocata  
A **GARREN**: Pietate, alta Virtuteque felix.*
- 20 *A Patre, Avis, Proavisque antiqua stirpe creatis  
Et bene de Patria meritis, ut lucis in auras  
Edita, Virtutum rediere in semina causa.  
Abluit agnatam Divino in flumine culpam,  
Atque salutiferi Baptismatis amne novatur.*
- 25 *Hinc postquam teneris coepit consistere membris,  
Suavis uterque Parens nascenti in corde latentes  
Igniculos fovit sanctae Pietatis et Aequi.  
Postquam purpureum super ora effusa pudorem  
Jam vicina toro placidis adoleverat annis*
- 30 *Virginitas, dives castaeque Modestia vitae;  
Nobilis antiquo deducens Sanguine Stemma,  
A BELLINGHAVSEN Fortissimus ille JOHANNES-  
EBERHARD; Equitum Dux; et tentata lacertis  
Arma premens, validos terrensque timoribus Hostes;*
- 35 *Vt socii ingenuas flammis acceptat amoris;  
Et sit Nupta cupit, tedaque accepta jugali.  
MARGARIS A **Szögen**/ Nomen Virtutibus aequans  
Nobile Nobilibus: non aversata hymenaeos,  
Componit placidos sociali foedere sensus.*
- 40 *Deliciosus Amor: Prolem videre renatam!  
Nate, LEONARD-JOHANNES; HENRICE-GEORGI;  
CHRISTINA-ELISABETH nitidissima Filia nata.  
Deliciosus amor, connubia cognita laeta:  
Alterum et alterius multum praesentia juvit.*
- Anno 1606.  
(Anno 1637.)

- 45 *Vna ivit: viditque velut Germania Pacem  
Optavit reducem; quando Mars horrida bella  
Miscuit, et mediis erravit tristior armis.  
Ipsa Virum glomerare manum, et concurrere telis  
Vidit; laudatum spoliis et vidit opimis.*
- 50 *Martia pugnantem vidit Germania: vidit  
Orbem involventem clypeo et victricibus armis,  
Hic ubi Lipsensis campus spectabilis agris.  
Vidit, non illi quod quis se impune tulisset  
Obvius armato, seu cum pedes iret in hostem,*
- 55 *Seu spumantis equi foderet calcaribus armos.  
Ipse fatigavit DEus omni Marte, Potentum  
Hostiles animos; Praedas ad littora Ductor  
Vertit; et Arctoae Reginae munera solvit* (Anno 1643.)  
*Vexilla, et multis fatales millibus hastas.*
- 60 *Regibus Augustis CHRISTINA Heroibus orta,  
Delicium Humanae Gentis, Patriaeque Corona,  
Annales coepit transacti audire laboris,  
Et placide accepit superantis praemia Martis.  
Hinc autumnales coepere ubi cedere Menses;* Anno 1650.  
*Postquam Reginae gemmis praecinxit et auro  
Metropolita comas, ornans radiante Corona:  
Regina Arctoae longe Augustissima terrae,  
Concedente Deo, Christo Duce, et Auspice Flatu,  
Hunc BELLINGHAVSEN meritis Heroa Beatum,*
- 70 *Esse jubet Regni Illustrem sacro Honore Baronem.  
Jusserat: et laetis animis sua gaudia totus  
Testatur Populus! Christo et pia carmina dicit.  
Inde orbem Levonum, Decus immortale Baronum,  
Affertur; Conjux Illustris, Mascula Proles,*
- 75 *CHRISTINA ELISABETH Natura mitis et annis,  
Adveniunt, ubi jam Virtutibus aemula Divis  
Riga jacet, celerem ad Dünam molimine magno  
Constructa; et primo solvunt in littore vota.  
Vix novus adveniens tectis successerat Hospes:*
- 80 *Virgineis postquam nitidissima moribus illa  
CHRISTINA ELISABETH, coepit languescere morbo;  
Procumbensque piae Matri dedit oscula: dixit  
Extremumque vale! cecidere abrupta repente* (Anno 1651.  
*Gaudia, florentesque manu scidit Atropos annos.* mense Aug.)
- 85 *Jam frons laeta parum! Patrem Matremque frequentes  
Praecipitant curae, turbataque funere mens est.  
Nec mora! Jam memores rediisse in tecta laborant;  
MARGARIS A Szö gen / postquam mutatque vigorem  
Et priscae quasso languent in corpore vires!*
- 90 *Hinc sua fassa fuit transactae crimina culpae,  
Ante Aram accepitque Sacrae solemnna coenae;  
Postquam, Christe, jubes placidae succedere morti.* An. 1651.  
*Sic Matri reditum insperato in tegmine Parcae* 1. Sept.  
*Ruperunt! Pallor coepit gravis ora Mariti!*

- 95 *Illustris Sobolis dejecto et lumina vultu!*  
*Verum quis poterit justos aequare dolores*  
*Lacrymulis, moestis vittis, atraque cupresso!*  
*Saucia sufficiant transactis tempora curis;*  
*Non sit amara dies, non noctis amarior umbra*
- 100 *Amplius: in coelis Conjux et Filia psallit.*  
*Illustres Fratres, tristes seponite curas;*  
*In caelis superest Materque Sororque triumphans.*  
*Salve Anima, aeterna Paradisi in luce beata;*  
*Et cineres patrio Tumulo salvete recepti,*
- 105 *Donec venturi patefactis membra sepulchris*  
*Eliciet felix nostri Sapiencia Christi.*  
*Inde redux Anima in redivivo corpore deget,*  
*Succedensque Polo seclorum<sup>103</sup> in secula vivet.*  
*Vivatis! florem Generosi interminus aevi*
- 110 *Terminus instauret! Felix Fortuna Baronum*  
*Floreat! Illustres et Avi numerentur Avorum.*

Quod condolenti animo et calamo  
 scribebat  
 Laurentius Ludenius, Phil.  
 et U. J. D. Profes. et Regius Acad.  
 Bibliothecarius.

75. Adr: Margaretha von Zöge et Christina-Elisabetha von Bellingkhausen – Aut: Christianus  
 Wasserman (cf. 74) UUB (def), EAB, [Tartu UB]  
 EPICIDIUM

- Pharmaca ceu Medicus mox dulcia miscet amaris;  
 Temperat, aegroti pro ratione sui;  
 Haud in perniciem, cito sed relevetur ut aeger;  
 Hortatur: capiat; praebibit ipse simul:
- 5 *Sic laetis semper DEus addere tristia poclis<sup>104</sup>*  
*Perbene disposta<sup>105</sup> hic, hic dare cuique solet.*  
 Optima sunt crebro, nobis quae tristia habentur,  
 Certe promanant e statione bona.  
*Vir Generose, Tibi en rapuit duo corcula chara*
- 10 *Mors; durum est; Costam, Filiolamque piam!*  
 Ast utriusque anima est segura in pace beata,  
 Ipsis mors lucrum; Te modo tristificans!  
 Sis ergo patiens, sumas quae Conditor almus  
 Propinat; praebens pocula bina Tibi!
- 15 *Mors ipsis lucrum est, quas ad caelestia duxit:*  
*In summo caelo, nunc celebrantque Deum.*  
 Vivunt cum Christo; post fata novissima rerum,  
 Aeterna placide laetitia excipies!

### Ein anders. Des Leid-tragenden Herrn Witwers

<sup>103</sup> *seclorum* pro *saeculorum* edd metri causa

<sup>104</sup> *poclis* pro *poculis* edd metri causa.

<sup>105</sup> *disposta* pro *disposita* edd metri causa.

## Klage.

Ach Wie hat auff mich geweßt  
 20 Der grimmig Todt die Pfeile  
     Vnd in eyle  
 Mich ins Klaghauß hart gesetzt.  
 Denn Er/ die mein Hertz erquickt  
 Von mir stets wol bewahret/  
 25 Nun gepahret  
 Hat von deren Giffit erstickt.  
 Was der Mars nie angerührt/  
 Zur <sich>erheit <nun><sup>106</sup> kommen/  
     Vntern Frommen  
 30 Hat im Fried er mir entführt.  
 Todt O leise bitter Gast/  
 Der du nicht beyden Gästen  
     Auch des besten  
 Meines theils verschonet hast.  
 35 Nun wer deine Arme bricht  
 Mit dirs ein end thut machen  
     Stopff dein'n Rachen/  
 Dem zu leben ich verpflichtet.

## Der seligen Frawen Gegen-Trost.

Was für Seufftzen/ Achtzen/ Klagen  
 40 Thut mein liebste Hertz hie sagen/  
 Wisst daß Gottes erster Schluß  
 Alle Menschen treffen muß.  
 Allen so GOTT je behaget  
 Alle die nach GOTT gefraget  
 45 Han diß Eytel stets veracht  
 Jmmer in die Höh getracht.  
 Weil der Wechsel mir nun worden/  
 Daß auß dem betrübten Orden  
 Jch genommen in die Frewd  
 50 Lebe in der Herrlichkeit:  
 Dazu vnser vorgeschicket  
 Kleinod mir vorweg gerücket  
 Nehme nun nicht tausend Welt  
 Hie es besser jhm gefällt.  
 55 Nun so gebt GOTT ewren Willen/  
 Thut doch ewer Hertze stillen  
 Lebet dort/ im Hertzen hier  
 Wisst jhr kommet ja zu mir.

Ein anders/ Ehsttnisch.<sup>107</sup>

<sup>106</sup> Margo chartae abscisus est.

<sup>107</sup> Editio et commentarium in: V. Alttoa, A. Valmet, *17. sajandi ja 18. sajandi alguse eestikeelne*

Och kust tullep meile sedda?  
 60 Jgges hedda /  
 Waiw om perran Waiw om ehn /  
 Kun sihsz parramb otzatasz  
 Kurjamb mö ndkord leutatasz  
 Ninda sünnisz Jumla theen.  
 65 Sedda meye mehlt ei wö ttap /  
 Jgges tö ttap.  
 Jumla wasto pannema:  
 Sest kun temma rö mustap /  
 S' Jnnimen hend' kurbastab  
 70 Peljas mitte wannuma.  
 Netz se ainus-tarke loja  
 Omma Poja  
 Enne Waiwa sisse heit'  
 Perrast nö stis waegka suhrt  
 75 K' enne kui ütз kuiwa Juhrt  
 Lebbi temma ö nnists meit.  
 Kaje toch se Nissu Terra  
 Kun se erra  
 Mulla sissen külwatut  
 80 Ninda kahs se Jnnimenn  
 Sahko enne tuhaken  
 Perrast tullep seljetut.  
 Kun se JIm mes Jumal annap  
 Jgges kannap  
 85 Wö tta sedd' hä mehle kah /  
 Armust mes theep Jumal sul /  
 Perrast annap jelle kül  
 Taiwan / kun kihk Rö mu sah.

Christianus Wasserman /  
 Pastor zu Theal und  
 Felck.

76. Adr: Margaretha von Zöge et Christina-Elisabetha von Bellingkhaussen – Aut: Johannes Gutsclaff  
 (cf. 74) UUB (def), EAB, [Tartu UB]  
 EPICEDIUM

*Eheu! quam vana est haec omnis gloria mundi!*  
*Quam sunt incerta, ah! sunt inconstantia cuncta.*  
*BELLINGHVSIADES noster, fortissimus ille*  
*Heros, ah! dicit: sunt haec vanissima cuncta!*  
 5 *Junxerat huic Sancti thalami Servator et Autor*  
*Uxorem, qualem sapiens vult esse DAVIDES*  
*Vxorem frugi; cujus si dicere laudes*  
*Omnes deberem, dicendo vel foret annus.*

Haec terno sobolem partu est enixa Marito  
 10 Egregiam ternam, sed tertia sola puella.  
 Haec, cum sol calidi properaret ad arjetis astrum,  
 Nata, suum solem bis ter vidit redeuntem.  
 In gremio chari Patris charaeque Parentis  
 Fota, fuit multis sine fuco blandula mirum;  
 15 Scitula more pio, gravitateque bellula grata,  
 Deliciae cunctis, vel Sceptra tenentibus ipsis.  
 Praesagire fuit praecoci aevum fore parvum.  
 Ex Svecorum oris reduces modo Riga tenebat  
 Incolumes ternam prolem, charosque Parentes;  
 20 En, properare domum, currum modo scandere prompti;  
 Concipit insuetus dolor intestina tenella  
 Filiolae, incipiunt lethali viscera fluxu.  
 Non opis est quicquam, quamvis sint pharmaca praesto  
 Expirans animam dicit Matrique Patrique,  
 25 Fratribus, et cunctis; Nunc tandem rite Valete.  
 Relliquiae ad tempus modo erant exinde repostae,<sup>108</sup>  
 Cum gnatis moesti properant ex Vrbe Parentes.  
 Bis denas fere erant leucas ex Vrbe profecti;  
 En; lachrymas inter, fletus gemitusque recentes,  
 30 Insuper et Matrem constringunt tormina acerba  
 Ex intestinis; fluxus mox ingruit idem;  
 Accelerant iter, et properant, medicamina praebent;  
 Accersunt Medicos, nihil hic manet intentatum.  
 Vix medium attingunt iter, en, ubi proxima villa est  
 35 PATKULLI, cujus Conjux Soror unica chara  
 Aegrotae, non hinc poterat proficiscier ultra!  
 Ergo subsistunt, mordent, crescuntque dolores.  
 Attamen aegrotans invisit tecta sororis:  
 Propterea lectus reparatur pensilis ipsi;  
 40 Inditur, et sensim portatur, pervenit illuc.  
 Mutatus locus est, at morbus permanet ipse,  
 Insuper accrescit, vires quoque debilitantur.  
 Post aliquot soles extremos occupat artus  
 Frigus, et insuetum caligant lumina sole  
 45 Lucente, inde satis fuerat solata Maritum  
 Dilectum, tandem: non Te nunc lumina cernunt,  
 O Conjux, inquit; Dilecte Tuam tamen ipsam  
 Agnosco vocem, longum Dilecte valetio.  
 Jussis, quae sibi tunc sic forte jubenda sciebat,  
 50 Christo, cujus erat pretioso corpore pasta  
 Ante, animam tradit, dicens: En mortua vivo.  
 Sic linquens solem, vivit modo lumine Christi!  
 Interea ILLVSTRIS Viduus querebundus ita inquit:  
 Eheu, quam vana est haec omnis gloria mundi!  
 55 Bellula cui quondam fuit hic et blandula Nata  
 Vnica, nunc orbis natabus lugeo Natam!

<sup>108</sup> *repostae* pro *repositae* edd metri causa

*Chara cui Conjux fuit, ah, fuit optima Conjux!*  
*En, Viduus maerens, ejus modo curo sepulchrum.*  
*Praelia qui quondam durissima vincere juvi,*  
 60 *Vix semel extrema tantum cute saucius inde:*  
*Intima nunc geminum per viscera sentio vulnus.*  
*Nil honor iste novus mihi, quid mihi praedia parta?*  
*His sine vixissem cum chara Conjuge viva.*  
*His sine vixissem, modo Filia sola superstes.*  
 65 *Quid dicam lugens lugenti? quidve reponam?*  
*Dicere, nil valeo, socias modo jungo querelas:*  
*Eheu, quam vana est haec omnis gloria mundi!*

**Ein anders.**

**GOTT betrübet nicht von Herten seinen Freund/  
 Er züchtiget sein Kind mit Väterlicher Ruhten/  
 70 Vnd im höchsten Creutz ists gnädig doch gemeint.  
 Ein solches wollet jhr von GOTT Euch itzt vermuthen/  
 Herr Baron/ jhr Zier der hohen Edelheit  
 Hochgeneigter Herr auch meiner wenigkeit.  
 GOTT hat dißmahl hart verwundet Euer Hertz/  
 75 Vnd zweymahl es mit eins auff's innerste verletzt  
 Denn der Tochter Todt war Euch der erste Schertz/  
 Darauff jhr wurdet auch im Witwerstand versetzt.  
 Zwo Personen hie/ die Euers Hertzens Freud  
 Waren/ nimbt der Todt von Euch in sein Gebäud.  
 80 Jch/ der ich auch off't ergetzet worden bin  
 Durch dieses Kindeleins Witz/ Höfflichkeit vnd Schertzen;  
 Der ich nimmermehr kan lassen auß dem Sinn/  
 Der Frauen Mildigkeit vnd Raht für alles Schertzten:  
 Zwingen kan ich nicht bey mir des Hertzens Wall/  
 85 Wenn ich nur gedenck an diesen Todesfall.  
 Solten denn nicht seyn recht trewen Hertzenleides  
 Ein wares Traurgebehrd/ das Seufftzen vnd die Thränen  
 Die bißher geführt/ wie auch zuvor bereits/  
 Da Euch in Eurem Geist schon wolte böses ahnen.  
 90 Euer Ehgemahl vnd liebes Töchterlein  
 Sind nun durch den Todt recht Euers Hertzen Pein.  
 Wolgebohrner Herr/ GOTT hat Euch alß sein Kind/  
 Nach Vaters art vnd brauch die Ruhte lassen schmecken;  
 Vnerforschlich ist sein Raht/ vnd vor jhm sind  
 95 Des Fleisches Schwachheiten bey vns hie nicht zu decken.  
 Was der Seinen Nutz; alß Leben oder Todt/  
 Weiß zum besten Er alleine vnser GOTT.  
 Was den Sehligen/ vnd was Euch/ Edler Herr/  
 Durch Leben vnd durch Todt zum allerbesten dienet:  
 100 Das hat Väterlich hiemit versehen der/  
 Der es recht treulich gut mit allen Frommen meinet.  
 Drumb jhr Christlich thut wenn jhr gedültig seydt/**

Vnd Euch hiemit jhm zu geben seyd bereit.  
 GOTT selbst trauret mit/ weil Er Euch gnädig ist/  
 105 Sein Geist bezeugete in Euch daß Traurigkeiten  
 Vorstunden, wie auch geschah nach kurtzer frist/  
 Da/ alß Euch Riga erst kam ins Gesicht von weiten;  
 Da Euch vngewohnte Schwermuth überfiel;  
 Ob wol vnbekandt war diser jhre Ziel.  
 110 Da Jhr in der Kirch geriehet in Gespräch:  
 Es were dienlich Jhm ein Grab dazu erwehlen:  
 Welche vngewohnte Wort mit vngemach  
 Der Sehligen im Sinn anrichteten ein quälen:  
 GOTT bewahre/ was komt meinem Herren an?  
 115 Wie ist so betrübt vnd traurig nun mein Mann.  
 GOTT selbst trauret mit: Denn kurtz vor diesem Fall  
 Der Altar vnser Kirch von Sehliger gezieret;  
 Welchem Sie auch zu des HERren Abendmahl  
 Nach Christlichem Gebrauch drey Leuchter hat verehret:  
 120 Zeigte Traurigkeit so künfftig würde seyn;  
 Jch zogs selbst auff mich/ vielleicht sie were mein.  
 Die Gemeine war nur weg gegangen erst/  
 Da ewrer Diener zwey den Pathen tauffen brachten;  
 Jch trat vom Altar/ hatt auch geschrieben schierst  
 125 Was mir alßdann gebührt/ der Lichter war kein achten:  
 Schleunig stürzten zwey der Leuchter gantz herab/  
 Drücken in den Staub der Lichte Flamm ins Grab/  
 GOTT selbst trauret mit: denn mir vnd andern mehr  
 Zuvor im Nachtgesicht ist vnser Kirch gezeiget  
 130 Jnwendig wie das Gestühl recht ohn gefehr  
 Versetzt/ vnd die Kirch in schwartz wehr außgefleihet.  
 Also trauret GOTT in Bilden vnd im Geist  
 Herr Baron mit Euch/ wie Gottes Trauren heist.  
 Mässiget denn nun das Trauren mit Gedult  
 135 Gedencket/ Herr Baron/ daß alles Fleisch muß sterben;  
 Nicht kompt jimmer Creutz für sonderbare Schuld/  
 Den Frommen trifft es auch der Gottes Reich sol Erben.  
 GOTT weiß wol wie Euch zum besten ist gedient;  
 Er betrübet nicht von Herten seinen Freund.

Noch ein Ehstnisch.<sup>109</sup>

140 **NEtz<sup>n</sup>/ eth Jumal meit ni wahjelt tabbab kindi/  
 Meye mö tte kah/ eth se ei ochte sündi  
 Mes meye mö tleme; ja temma lettab weel  
 Sesharnast Teh/ kui is vö i moista meye Meel.  
 Minna mö tli igks: Se Aick sahb pea tulla**

<sup>109</sup> Editio et commentarium in: V. Alttoa, A. Valmet, *17. sajandi ja 18. sajandi alguse eestikeelne juhuluule*. Tallinn: Eesti Raamat, 1973, 51-52; Editio in: E.-L. Jaanson, *Tartu Ülikooli trükikoda 1632-1710. Ajalugu ja trükiste bibliograafia*. Tartu: Tartu Ülikooli Raamatukogu 2000, 157.

- 145 Fabianin eth s' Jsand jelles olla  
 Keick' Emmanda/ ninck kahs se wähe Junckro kah/  
 Eth nemmat Rohtzi-Mahlt sahbm netta meye Mah.  
 Ja ma mö tli weel: Kui sahbm se Junckrokenne  
 Jüttustella! Ja kui sahbm se Emmakö nne
- 150 Meit errarö hmusta! Mu Meelen olli keick  
 Se Nuckokesse Mohd/ ni kui se Päiwalick.  
 Weel ma mö tli: Nüd se kurri Werre-Többe  
 Rahwa sean om/ nüd parramb nö uw kui Höbbe:  
 Eth olles koddun nüd tah Emmand/ tahst om nö uw
- 155 Ninck Rohhi/ olcko keick toch Jumalalle Auw.  
 Enge Jumal om tarck igks ninck kajes pähle:  
 Mes sa waine Tuchk ninck Muld ni mö tlet ehle?  
 Ep minna ninda tee kui sinna nö uwandat/  
 Muh Werck mu Meelen om; ma tunne parrambat.
- 160 Ei sah Silmalle toh Emmand ninck toh Latz  
 Sulle ennamb ei/ noh kohlwat erra katz/  
 Eth moista sihs/ eth om mu Käjen keick se nö uw/  
 Eth mulla sünnis keick se Kihtus/ ninck keick Auw.  
 Mes ma ütle sihs: Jo om se sündinut
- 165 Mes keick parrambas om Jumal mö ttelut.  
 Eth olckem rahwul sihs/ küll Jumal rö hmustab  
 Sähl igkawest/ mes sihn se Surm ni kurbastab.

Aus Christlichem Mitleiden geschrieben  
 von  
 Johanne Gutsclaff /  
 Pastoren zu Vrbs.

77. Adr: Margaretha von Zöge et Christina-Elisabetha von Bellingkhaussen – Aut: Petrus Horn (cf. 74)  
 UUB (def), EAB, [Tartu UB]  
 EPICEDIUM

- Illustris Genitrix, Illustris Filia Virgo,  
 Sic simul hoc tumulo condita membra tegunt!  
 Flet conjux, Gravium Decus immortale Baronum!  
 Flet Pater; ac fatum nunc utriusque gemit!*
- 5 *Sed conjunx Coelis, et Coelis Filia vivit:  
 Hinc noli aerumnis ingemuisse nimis.*

Inter lacrymas ponebat  
 PETRUS HORN /  
 Dabera Pom.

78. Adr: Margaretha von Zöge et Christina-Elisabetha von Bellingkhaussen – Aut: Zacharias Koch (cf. 74)  
 UUB (def), EAB, [Tartu UB]  
 EPICEDIUM

- Terrenis *Matrem* sublatam ex arcibus, atque  
*Filiolam*; coelis intulit ipse DEus.  
 Hoc gratum munus qui contulit; abstulit idem,  
 Cujus in aeterna sunt sita cuncta manu.
- 5 Disce hinc, quod fluxis non sit constantia rebus;

Qui sapis, aetherae gaudia quaere domus.

Quaerula mente scribebat  
ZACHARIAS KOCH /  
Pritzvvald. Marchiacus.

79. Adr: Viris /.../, Dn. Burggravo Regio, Dnn. Consulibus, Dn. Syndico, Dnn. Praetoribus, Dnn. Senatoribus; Omnibus et singulis in /.../ Rigensium Republ. Patribus /.../ – Aut: Johannes Reiter (Oratio in salutiferam nativitatem Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi: quam, /.../ in Regia Gustaviana Adolphina Universitate, /.../ die 18. Decembris, anno 1652. publice /.../ enarrabat Johannes Reiter, /.../. Dorpati Livonorum, <1652>: J. Vogelius) Linköping LB (def), H, [Tartu UB]

DEDICATIO

*Salutem et Prosperitatem p.*

Magnifici Sancto Patriae molimine Patres,  
Urbis delictum, jugis et orbis honos,  
*Jam Novus Annus adest; Cursus Hyperione natus*  
*Absolvens solitum rursus anhelat iter:*  
5 *Mittunturque piae donaria commoda Strenae;*  
*Et votum est, felix ut Novus Annus eat.*  
*Hunc sequar optati morem totius ut aevi,*  
*Natalem in Christi scripta ego mitto Diem.*  
*Scripta, piorum hominum testantia gaudia Mentis,*  
10 *Dum CHRISTVS DEVS est Virgine natus Homo.*  
*Accipient placidis animis pia pectora scriptum hoc:*  
*Et vivent Musae sancta Medela meae.*  
*Vivite felices! sit felicissimus Annus:*  
*Et placidi veniant per pia Vota Dies.*

Dnn. Mecoenatibus, Promotoribus atque Evergetis suis submissi  
animi cultu, reverentia et studio devenerandis, in Novi Anni 1653.

felix auspiciu

Reverenter ac Officiose

Dat, D. D.

JOHANNES Reiter /

Riga-Livonus.